cit ut io bam non pu
t positis odijs, rixisque inuit[illegible]
ortales præstent munia vtrinque sibi.
ne sordes à puro segregat auro,
fecti tollis & omne malum:

Impressum per Johanne

COMPENDIOSA IN MEDICINAM INTRODUCTIO

CONTINENS DOCTRINAM

DE

Partibus præcipuarum humani Corporis regionum, earum morbis, morborum causis, prognosi, curandiq; ratione

Ad mentem tum Veterum, tum Recentiorum Artem Medicam Inventis suis illustrantium

Authore
FRIDERICO LEPNERO D.
& Anatom. P. P.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND ET ACAD. TYPOG. ANNO M DC LXIX.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO, S.R.I.
ARCHI-CAMERARIO, ET PRIN-
CIPI ELECTORI,

MAGDEBURGI, BORUSSIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ,
MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSU-
BIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA,
CROSNÆ, CARNOVIÆQUE

DUCI,

BURGGRABIO NORIBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINI,
COMITI MARCÆ ET RAVENSTEIN,
LAUENBURG ET BüTAU,
&c.&c.&c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

FELICITATEM PERPETUAM!

QUàm neceſſaria, SERENISSIME ET POTENTISSIME PRINCEPS; DOMINE ET NUTRITIE MUNIFICENTISSIME, ad benè medendum Anatomica ſit peritia, præter alia graviſſima argumenta, vel ex eo liquet, quod tum Veterum, tum Recentiorum Præſtantiſſimi quivis Medici maximè in Exercitiis Anatomicis deſudârint, illudq; ſtudium quidam eorum tanto cum fervore pertractarint, ut & omnem humanæ commiſerationis affectum exuentes à calentibus vivorum hominum viſceribus manum non abſtinuerint. *Cornelius Celſus* in præfatione Operis ſui ex mente aliorum aſſerit, optime feciſſe *Herophilum & Eraſiſtratum* quod nocentes homines à Regibus ex carcere acceptos vivos inciderint, conſiderarintq; etiamnum remanente ſpiritu, ea quæ natura ante clauſiſſet. Neq; crudele eſſe ſubjungit hominum nocentium & horum quoq; paucorum ſuppliciis, remedia populis innocentibus ſeculorum omnium quæri. Idem quoq; tentaſſe alii volunt inter recentiores *Jacobum Carpum Medicum Bononienſem*, & *Andream Veſalium Bruxellenſem*, utrumq; Artis Anatomicæ Inſignem Reſtauratorem.

Verùm quamvis Medicinæ ritè faciendæ è vivorum ſectione multùm accedere nemo facilè diffiteatur, non admittendam tamen cenſeo curioſi-

tatem illam tanquam crudelem nimis, atq; à Medentis (cujus non est supplicio afficere reos) tum dignitate, tum Christianâ charitate, alienam, utpote quæ non permittit per aliorum cruciatus remedia quærere sanitatis; præprimis cum aliorum vivorum animalium sectiones, id quod in homine vivo investigatur docere queant. Quod & eventus comprobavit; felicissimo enim successu quæ ante tot secula de lacteis mesenterii venis *Erasistratus* observavit, hoc seculo vivorum animalium sectionibus in lucem retracta à *Caspparo Asellio Anatomico Ticinensi*; quæ item de circulatione sangvinis, atq; de nutritionis Officina ab Antiquis doctè sunt tradita, ea pristinum vigorem recuperarunt demonstrato per certa experimenta in vivis animalibus sangvinis circulari motu ab *Harvæo in Angliâ Professore Regio*, necnõ *Pecqueto* in Galliâ inventó ductu thoracico, quib⁹ accedit doctrina de vasis lymphaticis *Thomæ Bartholini in Daniâ Professoris Regii*. Horum igitur rectius vestigiis insistens, cum ad Anatomica diligenter pertractanda, sectionesq; sæpius habendas à SERENITATE TUA fuerim vocatus, mearum partium esse duxi, pro viribus ea præprimis quæ per tot secula densissimis involuta tenebris tanquam nova suspecta esse possent, oculariter demonstrare. Comparatis proinde eum in finem variis subjectis

ctis, eadem viva cultro Anatomico subjiciens, non infelici manu Summo annuente Numine tam prædicta quâm alia ad Anatomiam spectantia exhibui, multotiesq; eorum omnium fidem adstantibus feci: Imò præviis hisce exercitiis præter exspectationem in primo humano subjecto, quod à me Solenni ritu in præsentiâ Hospitum Omn. Ordin. Honoratissimorum dissectum, ductum thoracicum manifestè satis demonstravi, quanquam id Subjectum ob genus supplicii ad demonstrationem prædicti ductus minimè fuerit idoneum. Necessitatem autem peritiæ Anatomicæ in curando eò clarius demonstraturus, animum induxi partium præprimis internarum delineationem Anatomicam, annexis simul morbis, morborum causis, curandiq; ratione atq; prognosi breve in Compendium redigere, publicoq; Eruditorum Examini subjicere, quò eò magis contrariis juxta se positis usus Nobilissimæ Artis elucesceret. Obstitisset facilè conatibus livor quævis sine discrimine Theonino dente rodens, nî vota Apollini litantium id operis à me flagitassent, quibus deesse nefas duxi. Confidens igitur si non omnes, quosdam tamen, quibus de meliori luto præcordia finxit Apollo, conatus meos probaturos, tenuem meam Musam in publicũ prodire volui, pariq; fiduciâ eandem perfecto jam ope-

re TIBI SERENISSIME ac POTENTISSIME PRINCEPS ac DOMINE, DOMINE & NUTRITIE Noster MUNIFICENTISSIME ad pedes tuos devolutam sisto, sperans eam Benigna ac Serenâ fronte exceptum iri tanquàm testem humillimi obsequii in obeundo munere demandato. MAXIMILIANO Romanorum Maximo Imperatori in magnâ librorum Ei consecratorum frequentiâ, nullum præsentis argumenti libello unquã gratiorem fuisse refert Vesalius in præfatione ad DIVUM CAROLUM QUINTUM; ecquid aliud de TE HEROICA TUA VIRTUS, quam Orbis admiratur sperare jubet? Agnovisti dudum necessitatem in medendo Nobilissimæ hujus Artis, Musam igitur hanc nostram quamvis exilem non dedignaberis Benignitatis Tuæ radiis fovere, quò iisdem refocillata cum tempore crescat, seseq; magis comptam atq; politam SERENITATI TUÆ sistat. DEUS interim TER OPTIMUS MAXIMUS Totius SERENISSIMÆ ac POTENTISSIMÆ DOMUS BRANDENBURGICÆ POTENTIAM, FELICITATEM, GLORIAM, in omne Ævum perennare faciat Clementissimè.

Serenisf. ac Potentisf.
Celsit. Tuæ

Subjectissimus
Fridericus Lepnerus, D.

Syllabus eorum, quæ in hoc opere continentur.

MEMBRUM I.

De Partium Similarium Materia & Forma, itemq; de Febribus.

CAP.

MEMBRUM II.

De Abdominis Partibus earumq; Morbis.

CAP.

14. De

MEMBRUM III.

De Thorace ejusq; Affectibus.

CAP.

MEMBRUM IV.

De Collo ejusq; Affectibus.

CAP.

MEMBRUM V.

De Capite ejusq; Affectibus.

CAP.

Nomina DN. Respondentium.

DISPUT.

1. M. Christoph. Krieger.
2. Abrahamus Klein, Holl. Pruss.
3. Johannes Henricus Sand / Giessens. Hass.
4. Michael Linemannus, Reg. Pr.
5. Johannes Lœselius Boruss.
6. Johannes Neucranz Stralf. Pom.
7. Christianus Nitzschke / Forst. Lusat.
8. Andreas Thamnitius Thor. Pruss.
9. Christianus Nitzschke / Forst.
10. Johannes Behmius Reg. Pr.
11. Gothofredus Sand Reg. Pruss.
12. Conradus Vasmarus, Mellinghaus. Lüneb.
13. Johannes Behmius.

MEMBRUM PRIMUM
CAPUT I.

§. 1.

HOminem unum esse commodè servatâ veterum quorundam unicum elementum (*teste Hipp. lib. de nat. Hom.*) statuentium opinione assereret nonnullus: at minus verè quemadmodum Hippocrates ibidem vult hominem vel aërem vel ignem vel terram vel aquam, aut cum aliis ab elementis sanguineorum propriis bilem vel melancholiam vel pituitam vel sanguinem esse diceremus; rationes enim eorundem Hippocrates nullius momenti esse ait, neq; ullum inter disputantes huicq; opinioni faventes ter ordine aliis superiorem fuisse, sed modò hunc modò illum in disceptando palmam obtinuisse, prout huic vel alteri contrariam opinionem foventi lingua volubilior magisq; turbæ accommodata fuerat, haud obscurè innuens eodem loco discrimen inter dialecticas rationes & demonstrativas; subjungit namq; invictam illum oportere reddere rationem, qui opinionem suam veram esse contendit.

Disputatio Prima M. Christoph. Krieger/ Respond.

§. 2. Aliam igitur ingredi viam convenientius erit, hominemq; cum Galenô l. 1. de usu part. unum dicere ob propriam circumscriptionem & quia nullâ parte aliis conjunctus est. Multis attamen homo constat partibus, iisq; diversis propriamq; circumscriptionem habentibus, quæ partium multitudo unum esse nequit, cum unum & multa sibi opponantur, vide Philosoph. 10. Metaphysic. c. 3. Si dicimus partes propriam quidem circumscriptionem habere, connexas tamen esse, remanebit illud adhuc dubium, quomodo diversa quæ sunt specie, unum sint? diversitas scil. partium diversitatem actionum, eademq; vicissim

facultatum differentiam ſpecificam infert, ſic facultas nutriendi differt ſpecie à facultate movendi, & hæc vicisſim à facultate ratiocinandi, quæ hominem reliquis animalibus ſpecie differre facit.

§. 3. Nihilominus tamen unitas hominis ejusq; præſtantia ſervatur, ſi dicamus unam ſaltem eſſe in homine facultatem, cujus gratia ſint reliquæ omnes, ad quam reducuntur: naturalis enim propter animalem eſt, animalis propter ratiocinandi facultatem, & hæc propter intelligendi facultatem, quæ tanquam ſuprema in reliquas dominium obtinet, & ſecus quàm reliquæ immaterialis & immortalis exiſtens verè divinæ particula auræ audit, & reliquis per ſe non indiget facultatibus, niſi quamdiu in corpore eſt, in quo conſtricta corporeis vinculis cæteris facultatibus tanquàm miniſtris utitur, non quidem ſuiipſius cauſa, ſed ut integer homo, qui ſenſuum miniſterio gaudet, ſapientiæ & intelligentiæ particeps fiat.

§. 4. Quapropter hominem ex unô corpore ſimilari, quale aër vel ignis vel aqua eſt, conſtare, ut unitas ejus ſervetur non neceſſum eſt, ſed potius è diverſis partibus compoſitum eum eſſe etiam actionibus convenientius erat. Et hinc partium diverſitatem tâm Medicum quàm Philoſophum perſpectam habere decet, ut ille de actionum læſarum, hic verò de naturalium cauſis eò rectius formet judicium, quô & nos in præſenti annitemur.

§. 5. Antequam autem ulterius progrediamur, partis conſideranda definitio; ea habetur *lib. 2. de part. animal. cap. 2. Galen. lib. 1. de elementis cap. 6.* his verbis; ὅτι αν τȣ̃ παντὸς συμπληρωτικὸν, ἐκεῖνο μόριον τε καὶ μέρος ὀνομάζεται, i. e. quicquid totum complet, id eſt illius particula aut pars, in hâc ſignificatione tanquàm laxiori ſæpiùs partis vocabulum in Authoribus occurrit, & hinc quoq; humores noſtri corporis partes dicuntur; ita etiam ex hâc definitione diviſionem illam *Hippocr: quæ extat lib. 6. Epidem.*

Epidem. Sect. 8. qua partes dividuntur in ἴσχοντα, ſive continentes, ἰσχόμενα contentas & ὁρμῶντα impetum facientes, enatam eſſe exiſtimamus.

§. 6. Placuit tamen aliis, quàmvis ab Hippocrate, Ariſtot. Galeno, & aliis, quamplurimis in locis hâc in ſignificatione vocabulum partis ſumatur, & hinc, ſemen, lac, menſtruum, pituita, bilis, pro veris partibus habeantur, ſignificationem hanc tanquàm amplam nimis ad anguſtiores redigere limites, ut & communi quaſi ſuffragio ſit illa Ferneliana partis definitio recepta, quæ ejusdem *lib. 2. Phyſiol. cap. 2.* continetur. Pars eſt corpus vivens toti cohærens ad illius uſum vel functionem comparatum; hac in ſignificatione jam Ariſtotel. partis vocabulum ſumpſiſſe exinde conſtat, quod aliquibus in locis ſanguinem à partium numerô excludit, aliis verò in locis includit, diſtinctionem ſcil. obſervans inter laxam & ſtrictam ſignificationem, quâ humores, ſpiritus, pili partes non ſunt, quia communi non gaudent vita, partim etiam, quia toti non cohærent.

§. 7. Diviſionem partium commodiſſimam inſtituto noſtro Philoſ. proponit. *lib. 1. de hiſtoriâ animal. cap 1.* partium aliæ incompoſitæ ſunt, quæ ſcil. in ſimiles partes dividuntur, ut caro in carnes; aliæ verò compoſitæ, quæ in diſſimiles dividuntur, ut manus non dividitur in manus alias, neq; facies in facies. Medicis jam in uſu eſt diviſio partium in ſimilares & diſſimilares, quæ diſtinctio ſi ſano ſenſu ſumatur, non quidem ab allata differt; tricis tamen, dum quid ſimilare ſit, quæritur, moleſta: ſcilicet contendunt alii particulas ſimilaris partis diviſas & nomen & definitionem eandem cum toto habere, quod tamen univerſaliter de omnibus partibus ſimiliaribus verum non eſt, teſte *Philoſ. lib. 2. cap. 2.* Et ſic neq; vena neq; arteria ſimilaris eſſet, quæ tamen à Galeno, & multis ante Galenum ſeculis pro ſimilaribus

habitæ; neq; enim quamvis venæ & arteriæ partem venam arteriamve dixeris, nisi quodvis fracti poculi frustulum, poculum dicere velis, certa namq; forma & figura requiritur ut aliquid vena dicatur, quemadmodum id quoq; in poculo manifestum est. Similaris itaq; pars erit, quæ non è diversis partibus est composita, & quæ ratione materiæ, non formæ, omnes partes habet sibi similes. Notandum est hîc quoq; similare & inorganicum non esse unum & idem; poterit enim aliqua pars esse & similaris & organica, ut in venis & arteriis patet è *loco Galen. lib. 1. de medendi methodo cap. 6.* Organon, inquit, appello animalis partem, quæ, perfectam operationem edere potest, veluti oculus visionem, & lingua loquelam, & crura ambulationem. Ad eundem modum & vena & nervus tum organa tum partes animalis fuit.

§. 8. Numerum partium similarium diversum Philosophus & Galenus constituunt: *lib. enim 2. de part. c. 2.* Aristoteles partes similares dicit alias esse molles & humidas, ut sanguis, ichor, adeps, sevum, medulla, genitura, lac, caro, & quæ iis proportione respondent: alias esse siccas & solidas, ut sunt, os, cartilago, spina, nervus, vena; Galenus verò denariô numerô partes comprehendit similares, & sanguinem, humoresq;, sevum item lac, genituram â partium similarium numero excludit; suntq; ipsi verê similares sequentes: os, cartilago, ligamentum, membrana, fibræ, venæ, arteriæ, nervus, cutis & caro. At conciliantur facilê sibi Galenus & Aristoteles, si illum partis nomen in latiori, hunc verò in strictiore significatione sumpsisse dicamus. Dubia tamen quædam circa hunc Galeni similarium partium numerum occurrunt. Quædam enim ibi positæ partes potius referendæ videntur ad classem dissimilarium; sic vena, arteria, nervus, & ipsi Galeno aliis in locis dissimilares audiunt, de quo insuper ipse sensus testatur. Habent namque venæ & arteriæ suas valvu-

valvulas, duplicem tunicam, nervi interiorem ſubſtantiam mollem, exteriorem duram, è quibus disſimilitudinis ratio manifeſta eſt. Ad hæc reſpondet Laurentius, diſtinguendo inter Anatomiam artificioſam & popularem ſive rudem: at & rudis anatomia partium disſimilitudinem in nervis oſtendit; neq; ubi inter doctos controvertitur, ad rudem Anatomiam confugiendum, præſertim quando ex ipſis Authoribus commodisſimam, & veriſſimam ſolutionem afferre licet. Non pugnat eandem partem & ſimilarem & disſimilarem dicere; ſcil. ratione materiæ, quemadmodum dictum eſt, quædam pars ſimilaris dici poterit, eademq; ratione figuræ & compoſitionis disſimilaris. Sic vena & arteria ratione materiæ ſimilares ſunt, eandem namq; materiam agnoſcunt & valvulæ & tunicæ; reſpectu verò figuræ vel formæ, quatenus certa & debita magnitudo & compoſitio requiritur, diſſimilares ſunt. Eâdem ratione *lib. 2. de part. cap. 1. Ariſt.* cor ſimilare eſſe vult, quia quemadmodum quodvis ex aliis viſceribus in partes ſimilares ſecatur: disſimilare verò propter figuræ ſuæ formam; quamvis autem non omnes particulæ æquè duræ vel molles videantur, illa duritiei differentia non tanta erit, ut magnopere ſit attendenda. De nervis major quædam eſt difficultas, quæ & Laurenbergium ſuſpenſum detinuit, ut nullam pro Galenó defenſionem attulerit; ſed nec incommodè Galenus excuſari poterit, ſi accuratius nervorum ſubſtantiam examinemus. Ad hoc aquâ calidâ opus eſt, in hanc præſectum, ſi injicias nervum, videbis eundem ſuâ ſponte in plures diſſolvi fibrillas, quæ eandem ſubſtantiæ rationem obtinent, & inter ſe ſimiles ſunt, quod verò ſubſtantiæ interioris mollitiem attinet, ea exinde evenit, quia interior ſubſtantia, plus humoris & ſucci, qui nimiam & ex motu metuendam ſiccitatem prohibet, continet, vel etiam humoris nondum in nutrimentum partis converſi, re-

liquum quid eſt; itemq́; in demortuis corporibus humidum illud quod è reſolutione ſpirituum provenit, mollitiei cauſa eſſe poteſt. Alterum verò dubium, adhuc relinquitur, circa Galeni partium ſimilarium enumerationem, inſufficiens quippe ea videtur, cùm præter dictas partes hepatis parenchyma, cerebri ſubſtantia, itemq; pulmonum, teſtium, uteri, lienis, &c., ſeparatis vaſis & membranoſis corporibus, verè videātur partes ſimilares, quarum tamen mentionem nullam facit Galenus. At nec hôc ipsô numerus deſignatus Galeni, infringitur; carnis enim ultimô locô mentionem facit, cujus nomine tàm hepatis, quàm aliarum partium ſubſtantiam comprehendit, quæ caro uniuscujusq́; partis propria dicitur, ad diſtinctionem carnis muſculoſæ: locum habes hujus rei teſtem in *Galen. lib. 3. de Natur. facult. cap. 6.* ubi inquit; Eſt ſanè hujus generis & quæ jecinoris eſt caro nec minus quæ lienis & renum & pulmonis & cordis &c. hôc in locô expreſsè Galenus parenchyma hepatis, lienis, &c. carnem vocat; quapropter non dubitabimus has partes omnes nomine carnis Galenum indigitaſſe.

CAPUT II.

§. 1. Diſſimilares è ſimilaribus componi partibus tanquàm prioribus ordine naturæ, non dignitate, cuivis patere exiſtimo; de his igitur, quod & antecedenti capite egimus, priori erat tractandum locô. Sed neq; ſufficit earum definitionem & numerum propoſuiſſe, verùm reſolutio rei alicujus tamdiu eſt inſtituenda, monente Philoſopho, donec ad prima deveniamus. Operæ igitur pretium facturi, ſi perſpiciamus, è quibus tanquam elementis ſimilares partes conſtent.

§. 2. Sanguinem ſimplex in animali illud corpus eſſe, cui tanquam proprio elemento cæteræ partes ſuam originem atq́;

conſer-

conservationem debent, *ex Aristotele lib. 2. de part. animal. c. 3.* & *Galeno lib. 2. de element.* constat. An verò sanguis unus sit secundum omnes partes, vel utrum è pluribus humoribus in unum coëuntibus constet, non æquè patet.

§. 3. E pluribus eum constare, & unum non esse, diversitas constitutionum satis arguit; neq; enim omnium hominum quamvis secundum naturam se habeant, una est constitutio sive complexio: Hæc autem nullâ aliâ de causâ provenire potest, quàm â sanguine, qui prout secundum humores contentos variè constitutus est, ita variam quoq; corporum dispositionem efficit. Varia Corporum constitutio Medico scitu quàm magnoperè necessaria sit, è variô medicandi genere satis manifestum est: Hujus enim ratione non habitâ, si quod uni profuit, alteri etiam porrexeris, sæpius quosdam in vitæ periculum adduces potiùs, quàm ut salutiferum eventum tibi promittere queas; sed neq; diversas omninò partes, ut sunt caro, ossa, nervi, tendines, &c. uno eodemq; humore ali verisimile est, quod tamen necessum est, si sanguis secundum omnes suas partes unus idemq; est. Inspicientes itaq; diligentius veteres sanguinem è venâ emissum, quatuor in eo diversos deprehenderunt humores; atq; illud quidem, quod sanguini supernatat, spumosum & ad flavedinem tendens, bilem nominarunt flavam, quæ calidi & sicci temperamenti, igneæq; naturæ est respectu reliquorum humorum; Quod huic subjacet rubicundum, dulcisq; saporis sanguinem in specie sic dictum, qui calidus & humidus existens aëreæ est sortis, appellarunt; Admixta sanguini (specialiter sic dicto) viscida & lenta materia, quæ sub specie fibrarum aliquando apparet, *teste Aristotele lib. 3. de histor. animal. c. 6.* atq; glutinis instar sanguinem firmiter cohærere facit, pituitæ ab antiquis nomen sortita est, frigida & humida, ideoq; temperamento aquæ respondens; Quod his

his omnibus ſubjacet, nigroq; colore tinctum apparet, melancholia ſive melancholicus ſuccus dicitur, terrenæ frigidæ atq; ſiccæ naturæ. Conſpicitur præter quatuor dictos humeres adhuc alius, qui Seri nomine venit, verùm cùm communi conſenſu non alimentaris humor, ſed tantum ſanguini hunc in finem junctus ſit, ut eò commodius venas minores pertranſiret, ejus tractatio hujus loci non eſt.

§. 4. Quaternarium hunc humorum numerum quidam oppugnant, atq; ſpumoſum illud, quod ſanguini ſupernatat, reverà diverſum à ſanguine humorem non eſſe dicunt, ſed ab impetu, quo ſanguis in pelvim fertur, bullas excitari, easq; ab admixto aëre flavedinem contrahere, atq; hinc non prius in ſanguine extitiſſe tanquam diverſum humorem, qui bilis rationem habeat, ſed poſt emiſſionem ſaltem parte ſanguinis tenuiori ſequeſtratà accedente externo aëre generatum. At libenter concedimus humorem hunc ſicuti & alios ante eorundem ſequeſtrationem ſenſui non apparere, exinde tamen eosdem in ſanguine non contineri, non ſequitur. Nam & lac unum omninò videtur eſſe, attamen in eo diverſæ partes continentur: caſeoſa nempe, ſeroſa & butyroſa. Flavedinem quod attinet, eandem ab admixto aëre contrahi, non ità certum eſt, & quamvis concedatur, utrum etiam amarorem ab eo contrahet? Qui ſanè certiſſimo argumento eſt, reverà bilem in ſanguine fuiſſe contentam, cum ſanguis dulcis ſit ſaporis, neq; alterationem hanc tantillo temporis ſpatio ab aëre ſolo pati queat: neque veriſimile eſt, naturam omnem calidiorem ſanguinis partem ad veſiculam fellis ablegare, ſed id ſaltem quod ſuperfluum eſt atq; excrementitium, relicto eo, quod tàm ſanguini à putredine conſervando, quàm partibus utile, atq; commodum eſt.

§. 5. Non minor de pituitâ lis est; ejusdem namq; neq; sensus neq; rationem manifestum præbere testimonium inquiunt: Verùm & in hoc negotio modò sensibus uti velint, rem ita se habere animadvertent. Si enim tactu sanguinem explorent, experientur eidem aliquid inesse, quod glutinis instar viscíditate suâ se prodit; atq; si statim ab emissione sangvinis fibrosæ partes pituitam aliàs naturaliter constituentes, eximantur, sanguis non ampliùs cohærebit, teste Philos. 4. d. Meteor c. 10. Hujus autem quemadmodum & aliorum, Bilis scilicet & Melancholiæ existentiam negantes, hac præcipuè utuntur ratione: Nimirum humores hos cum fine destituantur, atq; secundùm quorundam nostræ parti faventium opinionem, partibus in alimentum non cedant, etiam non attendendos esse, cum Natura omnia propter certum finem fecerit; qui nullus his humoribus est, ita, ut potius ubi parumper excessu peccant, morbum inducant, quam ut ad Corporis conservationem faciant. Ad hoc respondetur; non verisimile esse, illud quod semper & in omni corporum secundùm naturam se habentium sanguine reperitur, fine suo destitui: Finis hic verus 4. humorum est cedere in alimentum partibus: Non autem existimandum partem aliquam corporis puro ac solo humorum horum aliquo nutriri; sed omnibus quatuor; ita tamen, ut unus, qui parti maximè accommodatus, exuperet, atq; ab eo, qui exuperat, denominatio fiat; v. c. Ossa melancholiâ ali dicuntur, quia sunt terrenæ omnino sortis: Sed non existimandum solam melancholiam alimẽtum esse ossium, quamvis ejus maxima pars ad tam dura atq; gravia corpora requiratur: Quomodo namque adeo firmiter partes ossium cohærerent, & non potius triabiles omnino essent instar Terræ, quæ omni humido destituitur, si pituita, quæ instar glutinis est, abesset. Verè autem melancholiâ ali dicuntur, quia eadem inter reliquos humores exuperat. Sic corpora Nervorum, Tendinum, Venarum,

 Pitui-

Pituitam pro alimento agnoscere dicuntur, quod hic humor in alimento eorum abundans maximè eorum naturæ sit accommodatus. Neq; tamen sanguis specialiter sic dictus excluditur, cum humores communi vinculo gaudeant, quod sine destructione Naturæ dissolvi nequit. Idem judicium esto de carne musculorum, quæ sanguine specialiter sic dicto nutriri dicitur.

§. 6. Neq; præterea, si humores sæpius recensiti qualitate vel quantitate peccent morbumq; pariant, ideo pro excrementitiis sunt habendi: Floridissima enim sanguinis portio si corrumpatur, atq; alienas qualitates contrahat, gravia symptomata excitare valet, atq; excessus ejusdem plurima mala in corporibus plethoricis, si ipsis venæ sectione non succurratur, procreare potest.

§. 7. Tandem non sine magno periculo exterminari à re medicâ hi humores possunt; cum nullum exactum judicium de Temperamento hominis ferre possimus incognitâ naturâ & discrimine horum humorum; Si autem eorum, secundùm naturam se habentium cognitionem non assecuti sumus, neq; de iis præter naturam constitutis rectum formare judicium poterimus, sed sæpius humorem naturæ familiarem, pro noxio evacuabimus, ægrumq; in vitæ discrimen adducemus.

§. 8. Dubium tamen adhuc posset esse alicui, quomodo ab uno agente, calore scilicet, adeo diversi humores queant produci? cum unius agentis naturalis, una quoq; sit Actio. At minus benè hic respectus habetur solius agentis; Calor namq; pro diversitate materiæ, diversimodè quoq; agit, & cum id, quod in nutrimentum nobis cedit, diversarum sit partium, diversi etiam humores ab uno calore generantur. Sed hic rursus dubium occurrit; si materiæ ratio sit habenda, qui fiat, quod una eademque materia, (v.g. Mel, Saccharum & alia dulcia) non æquè in omnibus corporibus bilescat, sed aliquibus nutrimento sit? Ad u-

trumq;

trumq; tâm Agens quam Patiens merito respiciendum esse supra jam dictum est; Prius enim dubium ex neglecta materiæ consideratione, hoc vero ex prætermissà Agentis, ortum traxit; dum nimirum Calor in aliis corporibus intensior est, eandem materiam bilescere facit, quam alius calor moderatus in nutrimentum partis convertit. Hæc de hac materiâ, quam Galenus ipse multis difficultatibus implicitam esse dicit, sufficiant.

CAPUT III.

§. 1. Post quatuor humores, qui materiam partium similarium absolvunt, consequens est, ut videamus perfectionem eam, quam Natura in commixtione horum humorum intendit: Hæc enim ipsa Formam constituet & actionum causa erit, quam & Philosophus nosse debet, nisi omni destitutus demonstratione inutilem velit navare operam: Nec minus Medicum Formam & causam Actionum perspectam habere convenit; Is namque læsarum actionum causam nullam dicet, nisi naturaliter se habentium Principium noverit, quæ sibi invicem opponuntur, atq; lumen in cognoscendo à se invicem fænerantur, adeó, ut & altera absq; priori cognosci nequeat.

§. 2. Missâ autem debitâ conformatione, magnitudine, compositione, numero, quæ omnia ad partium dissimilarium constitutionem pertinent, præter Temperiem sive Temperamentum uniuscujusq; partis proprium quid reliquum erit? Sed & hoc ipsum cum materiâ perfectionem partis similaris absolvit, ut nihil superaddi necessum sit, à quo tanquam à causâ partium similarium actiones deducamus; Actionum namq; gratia in formam rerum inquirimus, ut causam earum reddere queamus.

§. 3. Temperies itaq; Forma similarium est, quæ quam diu naturalem constitutionem servat, etiam actiones integræ manent;

nent; quàm primùm verò constitutionem suam amittit, etiam Actiones læduntur, quarum læsarum Medici non aliam causam reddunt, quam intemperiem, quæ cum sit causa læsarum Actionum, etiam hujus oppositum nimirum Temperies causa erit Actionum Naturalium; oppositorum quippe eadem est ratio; Si verò Actionum non alia causa est, quam Temperies, neq; alia præter Temperiem erit Forma quærenda, cum Forma nihil aliud sit, quàm Actionum determinata causa.

§. 4. Quamvis autem præstantissimorum Medicorum, hac in parte sit consensus, ut Galeni l. 1. de Usu part. c. 9. præterque Galenum, Montani, Scherbii, Hoffmanni, Argenterii, Heurnii, aliorumque; placuit tamen quibusdam ab hac opinione discedere ob hanc præcipuè rationem, quam Santorellus refert in Tractatu suo de Sanitatis Naturâ l. 4. c. 5. Similaris, inquit, pars quocunque tandem modo consideretur, semper est substantia, quare & Forma ejus erit substantia; Nam quomodo è non-substantiâ, substantia fiet? Jam Temperamentum non est substantia, non erit itaq; Forma. At in communissimo cum aliis errore versatur Santorellus, dum substantiarum Essentiam vel formalem rationem non aliam esse existimat, quam eam, quæ & ipsa ad substantiæ Prædicamentum refertur; Hac enim ratione nullius rei præterquam hominis Forma, vera esset dicenda Forma, cum nulla alia Forma præter humanam ejusmodi substantia sit, quæ per se extra materiam subsistere queat: Attamen & reliquæ Formæ, quamvis ejusmodi substantiæ non sint, veræ dicuntur Formæ. Principio etiam malè intellecto, plerumq; hoc in loco utuntur; Formam scil. largiri esse; per esse intelligentes corpoream subsistentiam; in quo tamen sensu Axioma verum non est: Materia namq; corpoream subsistentiam largitur; Forma v. non simpliciter esse; sed distinctum esse, quo ab aliis rebus differt, diversasque obtinet operationes, quarum respectu quoque

prout

prout nobiliores vel ignobiliores sunt, rerum essentiam nobiliorem vel ignobiliorem esse dicimus. Et hinc Forma quoque magis dicitur substantia à Philosopho quàm Materia; Non quod magis quam Materia subsistentiam præbeat compositis, verùm quod certum subsistendi modum, certamq; rationem essendi iisdem tribuat, unde & Forma λόγ☉ τῆς ἐσίας dicitur, sive ratio substantiæ, quæ semper respectum habet ad substantiam illam, cujus Forma est, ut proinde malè omnis Forma substantialis ad Prædicamentum substantiæ referatur, cum ea, quæ respectum habent ad aliquid, in prædicamento sint Relationis.

§. 5. Malè igitur Temperiem Santorellus & ex eâ natam duritiem & mollitiem, Accidentia partium similarium vocat; Hæc enim adeo ad Essentiam earundem necessaria sunt, ut his sublatis integra tollatur Essentia: At, quo sublato rei destruitur Essentia, id ipsum ἐσιῶδες esse nemo negabit. Sed & Santorellus cum præter Temperiem, aliam adhuc Formam à naturâ inductam esse velit, eam denominasse debebat: Neque enim satisfactum est Montano, si dicat cum Thomâ Formam partialem negari posse, cum una tantùm sit Forma in corpore humano, Anima videl: intelligens: regeret namq; Montanus; Animam intelligentem esse supremam Facultatem neque tollere inferiores. Præterea dixerat prænominatus Author, partem similarem esse substantiã, quare & Materiâ constabit & Formâ, per quam sit & dicatur similaris substantia; at, malè per Animam intelligentem pars quædam dicetur similaris. Æquè absurdum esset cum Scoto nervorum formam dicere nervificam, ossium ossificam: quænam enim ea ossifica vel nervifica forma sit, meritò quæreret aliquis, cum ossium formam, formam ossificam dicere; sit nihil dicere, & ad eundem modum respondere, quo Formam hominis, esse Formam humanam, aliquis diceret.

§. 6. Instrumentum quoque dicitur Temperies respectu animæ vel superioris Facultatis, quæ Temperamento tanquam instrumento in obeundis actionibus utitur: respectu v. partium similarium temperies instrumentum non est, id enim semper ei, cujus dicitur esse instrumentum, extrinsecum existit; at, temperies partibus similaribus intrinseca & essentialis est.

§. 7. Similarium omnium partium temperamentum, temperiem constituit totius, eademq; ratio est, inter temperamentum totius & partium, quæ est inter totum & partes. Supervacaneum a. esse existimamus præmittere definitionem dialecticam, cum causalis ex antecedentibus, utpote quæ sola in scientiis locum habet, unicuiq; manifesta esse possit.

§. 8. Dividitur temperamentum in æquale & inæquale. Æquale illud dicimus, quod à Galeno εὔκρατον, σύμμετρον & ab aliis temperatum & mediocre vocatur vid. l. 2. d. Temp. c. 1. Hoc ipsum non ex æqualitate vel proportione ponderis, (quando scil. Elementa æquis viribus concurrunt, & temperamentum ad pondus constituunt) judicari volumus: sed ab usu & functionibus propriis; ita, ut illud v. c. in genere stirpium vel plantarum sit εὔκρατον, σύμμετρον & temperatum, quod præstantissimum profert fructum: Et vicissim illud in genere animalium æqualis temperiei vel temperatum dicatur, in quo Actiones animales sunt perfectissimæ. In specie v. hominem quod attinet, is temperatissimus erit, qui functione homini propriâ, facultate nimirum ratiocinandi præpollet; quod reliqua spectat, is homo dicetur temperatus, qui, ut Galenus ait citato loco, medio modo se habet inter timidum & audacem, misericordem & invidum, cunctatorem & præcipitẽ; qui etiam corporis habitu medius est inter gracilem & crassum, medius item inter somnolentum & vigilem, mediocriter bibens & comedens, & assumpta benè concoquens, vividi etiam qui est coloris, nec nimis glaber, nec nimis

in corpore hirtus; denique qui omnes, ut summatim dicam, actiones tum naturales tum animales habet inculpatas; ita tamen, ut semper potissimæ actionis vel functionis habeatur ratio, & ab eâ judicium formetur.

§. 9. Quæ ab hoc temperamento æquali recedunt, omnia inæqualia vocantur temperamenta, quorum octo Genera sunt, Simplicium quatuor, & quatuor Compositorum. Simplicia sunt: Calidum, Frigidum, Humidum, & Siccum, quando scil: una ex his Qualitatibus reliquas tres superat, unde simplex inæquale temperamentum oritur. Si v. duæ Qualitates superent reliquas, tunc idem dicetur compositum, & respectu æqualis, intemperatum & inæquale, eritq; calidum & humidum, calidum & siccum, frigidum & humidum, frigidum & siccum, secundum quatuor Qualitatum combinationes. Hæc utrum omnia in rerum naturâ dentur, non est quod anxiè probemus; sola namque nobis sufficiet experientia, quæ has omnes temperamentorum differentias comprobat.

§. 10. Dubitari autem posset, utrum benè pro Polieleti normâ habeamus temperamentum illud, quod eam qualitatum συμμετρίαν servat, quæ ad hanc vel illam actionem requiritur. Hoc enim temperamentum aliquando si proportionem spectes qualitatum maximè inæquale erit; & hinc melius facient ii, qui temperamentum dividentes in id quod est ad pondus, & id quod dicitur ad justitiam; Id quod dicitur ad pondus, pro normâ & regula reliquorum ponunt, secundum quam omnia temperamenta judicentur, quatenus sc. ab eâ recedunt. At respondemus: optimè in genere præcipuè animalium, respicimus non ad ponderis æqualitatem, sed ad eam, quæ debitam ratione actionum servat qualitatum proportionem; ut, v.g. Cor dicatur temperatum, non ob æqualitatem ponderis, id enim vitiosissimum esset, sed ob debitam qualitatum proportionem, quæ ad actiones vitales

les requiritur; ſic & Ventriculus ille dicitur temperatus, qui optimè concoquit, & neq; nimio neq; dejecto laborat appetitu: quamvis & hic prorſus non ſervet æqualitatem ponderis, quæ inepta prorſus ad ipſius actionem promovendam eſſet. Idem judicium ſit de toto animali, illud nimirum obtinere æquale temperamentum, quod actiones perfectisſimas edere valet. Imò non ſolùm temperamentum ad pondus in genere animalium, ſed & in universâ rerum naturâ dari optimo jure negari poſſet. Conſtat enim ut fiat mixtio, unam ſemper qualitatem ſuperare debere reliquas, ut easdem ad unitatem reducat, aliàs, ſi qualitates æquis viribus ſe oppugnent, unaquæq; ſuam obtinebit conſtitutionem & ſe defendet à contrariâ, ut ita nunquam unum ex his fiat. Quod autem alii temperamentum ad pondus poſſe ratione materiæ dari, urgent, ita ut materia æquali proportione ad conſtitutionem mixti concurrat, id prorſus præter inſtitutum eſt. Ubi enim de temperamentis agimus, non reſpicimus ad materiam, ſed ad virtutes qualitatum. Ad reliqua, quæ habet Plempius l.2. d. Fundamentis Medic. c. 4. Breviter reſp. A poſſe ad eſſe non valere conſequentiam, imo impoſſibilitatis ratio jam demonſtrata eſt.

§. II. De diviſione temperamentorum Medicis uſitata non eſt, quod multa dicamus; eadem enim eſt cum illa compoſitorum temperamentorum diviſione, ita, ut ſanguineum temperamentum conveniat cum calido & humido, bilioſum cum calido & ſicco, pituitoſum, cum frigido & humido, Melancholicum deniq; cum frigido & ſicco; diverſa ſaltem, in hoc ipſo à priori hæc eſt diviſio, quod denominationem temperamentorum ſumat ab Elementis ſanguineorum animalium propriis, humoribus ſcilicet: Illa autem differentiarum nomina petat à communibus Elementis. Plura videantur in Galeno.

CAPUT IV.

Disputatio Tertia. Johannes Henricus Sand/ Giessensis Hassus, Respond.

§. 1. Cum oppositorum una sit scientia, oppositaq; juxta se posita magis elucescant, non incommodum duximus partium naturalem constitutionem præmittentes, eidem p. n. dispositionem subjungere: Ut sic sanitatis & ægritudinis natura fiat manifestior, discendiq; commoditas juvetur.

§. 2. Opponitur autem temperiei (de qua tanquam forma partium similarium egimus) intemperies, quæ cum morbis conformationis & solutæ unitatis tria summa morborum genera constituit. De morbis igitur intemperiei primo loco agendum, reliquis morborum generibus ad eum locum reservatis, quo de dissimilaribus agemus partibus. Inter intemperiei morbos vicissim primi ordinis meritò est febris, quia morborum omnium communissimus, cognitûque maximè necessarius est affectus, cum plerique acuti morbi febrim habeant conjunctam; universalis etiam est morbus, quia se per universum nostrum corpus diffundit, & propterea tanquam universalis præmittendus erit particularibus.

§. 3. Definitio febris causalis scil. extat apud Galen. ubi definit febrim per conversionem nativæ caliditatis in igneam. Alii aliam afferunt definitionem, nos dilucidam maximè judicamus esse eam, quæ teste Alex. Aphrod. à plerisque Hipp. asseclis recepta est; Videlicet quod febris sit intemperies calida totius, à calore p. n. in corde accenso, & mediantibus spiritibus & sanguine per venas & arterias in totum corpus diffuso, ortum habens, actionesq; naturales lædens.

§. 4. Intemperies dicitur calida, quâmvis in aliquibus febribus frigus, rigor atque horror præcedant calorem; Hæc enim non per se insunt febri, sed saltem per accidens; Ubi nimirum cor vaporibus frigidis obsessum est, caloris ad partes prohibetur

 distri-

diſtributio, unde frigus in partibus ſentitur. Vapores hi frigidi à corde depulſi dum acrem quandam ſimul obtinent qualitatem, horrorem in reliquis partibus excitant, & ſi ad principium nervorum ferantur rigorem efficiunt.

§. 5. Subjectum cor eſſe dicimus, quàmvis enim febris morbus ſit univerſalis totius corporis, primariô tamen cor afficitur, ita ut calor præternaturalis ſecundùm triplicitatem ſubſtantiæ, ſolidam nempe humidam & ſpirituoſam, inhæreat vel ſpiritibus vel humoribus vel tertiò ſolidæ cordis ſubſtantiæ: unde & triplex febrium diviſio, cujus prima ſpecies Ephemera dicitur à ſpirituum incendio orta, alia Putrida in humorum putredine conſiſtens, & tertia Hectica ſolidam cordis ſubſtantiam occupās.

§. 6. Cauſa omnium febrium communis, ut ex definitione patet, eſt calor in corde accenſus; qui ſecundùm Gal. lib. 1. de diff. febr. c. 3. à quinq; cauſis producitur, motu nimirum, ubi ſanguis vel ſpiritus in corpore noſtro nimium agitantur, vel per externum corporis motum, vel per animi pathemata, & ea omnia, quæcunque ſpiritus agitare apta ſunt. Secundò, putredine, ſi calor naturali aliarum qualitatum vinculo ſolutus, magis ſuam exerceat actionem, cum antea aliis qualitatibus junctus, in amicam naturæ conſpiraret temperiem. Tertiò, rei calidæ contactu, ſi quis diutius vel ſub ſole vel ad ignem commoretur. Quartò, conſtipatione vel πυκνώσει pororum noſtri corporis, quâ effluvia calida intus detinentur, corpusque præter modum incaleſcit. Quintò, admixtione rei calidæ, per alimenta & medicamenta asſumpta.

§. 7. Curatio, quod generalem medendi methodum attinet, conſiſtit vel in προσθέσει, quæ tantum viribus addit, quantum naturæ deeſt; vel in ἀφαιρέσει, quæ id quod in corpore p. n. eſt, aufert. Hîc verò in genere febrium, ſumptâ indicatione à cauſa morbi ſecundum methodum uſitatam, morbo ipſo & viribus naturæ,

turæ, intemperiem calidam à calore p. n. ortam, frigidis oppugnandam esse viresq; vitales cordialibus roborandas esse manifestum est. Hæc de febribus in genere dicta sufficiant.

CAPUT V.

§. 1. In specie febres quod attinet, alia est Ephemera, alia Putrida, alia Hectica.

§. 2. Ephemera exinde sic dicta, quod ultra diem naturalem non duret, nisi in synocham simplicem, quæ quatuor vel etiam pluribus diebus finitur, degeneret. Signa sunt pulsus concitatior, attamen æqualis, ordinatus, urina non admodùm tam colore quam substantiâ à naturali distans, nullo cibi fastidio aut gravi horrore, vel etiam spontaneâ lassitudine præcedente.

§. 3. Oritur Ephemera à spirituum incendio, orta à pororum constipatione, vel animi affectibus, vigiliis, cruditate ventriculi & aliis causis, paragraph. 6. enumeratis.

§. 4. Curatio absolvitur refrigerantibus cordialibus & venæsectione in corporibus præsertim plethoricis; Neque negligenda humorum evacuatio, ne in putridam degeneret, quapropter ubi præsertim suspicio est vitiosorum humorum, iidem vel supernè per vomitum, si humor eò vergat, atq; natura ægri ad vomitum prona sit; vel purgatione per inferiora educendi: si nullum vel plethoræ vel cacochymiæ sit indicium, febrisque à sola pororum constipatione ortum ducat, balneum aquæ dulcis sufficere poterit.

§. 5. Prognosis nisi sudor Criseos signum plane absit, morbum hunc facilis curationis esse dictitat, hâctn. limitatione adhibitâ, ne quid vel ab ægroto vel ab adstantibus vel à Medico peccetur.

§. 6. Synocha simplex, quæ febris est continua, à priori non multum differt, nisi quod non solùm spiritus, sed & tenuior sanguinis pars effervescat, febrisq; ad quatuor vel plures etiam dies sine remissione continuò affligens protrahatur, cum lassitudine aliquâ, gravitate circa frontem & tempora, cutisq; madore, respiratione difficili, & urinâ existente crassiori.

§. 7. Curatio itidem aquis cordialibus refrigerantibus addito sp. Salis vel vitrioli & Syrup. Cordiali, venæsectione, purgatione, decoct. Tamarind. Syr. rosar. solut. pulv. spec. Diaturb. cum Rhab. corroboratione per Diamargarit. frig. Elect. de Gemmis, manus Christi perlat. &c. absolvitur. Diæta sit refrigerans & humectans. Prognosis etiam hanc febrim facilis esse curationis edicit, cautione priori adhibitâ.

CAPUT VI.

§. 1. Febres putridæ sunt, quæ à putredine humorum ortæ, vaporibus calidis cor p. n. calefaciunt atque horrore vel rigore non præcedentibus causis procatarcticis, urinæ cruditate, systole in pulsu existente velociori quàm est diastole, & actionibus magis læsis, gravioribusque symptomatibus à prioribus dignoscuntur.

§. 2. Putredo illa humorum vel à rerum non naturalium aliqua, inprimis alimento pravi succi, vel à partium concoquentium vitio, prohibitâ transpiratione, contagio, & cæteris oritur.

§. 3. Putridarum aliæ sunt continentes, quæ continuò affligunt, sine caloris remissione & intensione periodicâ; aliæ continuæ in quibus calor febrilis à principio usq; ad finem continuò durat, certis tamen temporibus exacerbatur; Aliæ deniq; sunt intermittentes, quæ certis affligunt periodis.

§. 4. Vi-

§. 4. Vicisſim putridarum aliæ ut communiter loqui amant, benignæ ſunt, aliæ malignæ; Hæ vitæ noſtræ admodùm ſunt infeſtæ, illæ minus; In illis vapores à putredine orti, fere veneni naturam aſſumunt, in his non item.

§. 5. De iis autem quæ non malignæ ſunt primò agemus, initium faciendo à continentibus, Synocho nimirum putridâ & Cauſo. Oritur utraq; à ſanguine in vena cava putreſcente, & ſine remisſione & intenſione periodicâ affligit.

§. 6. Diſtinguitur Cauſus à Synocho putrida, ſignis ſuis pathognomonicis ſeu Diagnoſticis, ſiti ingenti & urenti calore, unde & πῦρ abſolutè febris ardens, ſive cauſus ab Hipp. dicitur. Urina quoq; in cauſo eſt paucior, in Synocho vero majori copiâ & turbida. In utrâq; pulſus eſt celerior, & Syſtole velocior Diaſtole, reſpiratio quoq; difficilis, & caput malè affectum ob vapores calidos ad cerebrum ſublatos.

§. 7. Prognoſis; utraq; difficilis eſt curationis, ſi ſæva adſint ſymptomata, ſi calor non ſtatim decreſcat, neq; coctionis ſigna in urina appareant. Conſulatur inſuper Hipp. Sect. 4. aph. 58. & Sect. 6. aph. 26. de curatione dicetur in ſequentibus.

CAPUT VII.

§. 1. Continuæ periodicæ ſunt, quæ quidem toto morbi decurſu ad perfectam ἀπυρεξίαν non perveniunt, certis tamen periodis exacerbantur & remittunt. Hæc periodica exacerbatio, calorisq; intenſio, pro ut vel quotidie vel tertio vel quarto die fit, & typum alicujus intermittentium ſervat, febribus his continuis nomina impoſuit: ut alia dicatur Quotidiana, alia Tertiana, alia Quartana. Harum febrium materia vel humor vitioſus non quemadmodum continentium in venæ cavæ maximo trunco,

ſed in ejusdem propaginibus, inter maximum truncum & capillares ramulos mediis ſtabulatur.

§. 2. Quotidiana continua ſingulis diebus exacerbatur circa veſperam, plerumq; cum calore attactu primùm miti, deinceps verò aliquantulùm acriori, læviq; aliquando partium extremarum refrigeratione.

§. 3. Oritur hæc febris à pituita putreſcente, in venæ cavæ propaginibus. Notabis tamen pituitam per ſe ad inflammationem caloremq; excitandum eſſe ineptam, niſi pinguior quædam ſanguinis pars eidem admiſceatur; Denominationem interim hîc fieri à potiori quod abundat & efficit, ut febris hæc ratione ſymptomatum, quæ pituitæ præſentiam ſatis indicant, ſignis deſumptis tam è pulſu quam ex urinâ, ab aliis eſſentialiter differat.

§. 4. Alia eſt Epiala, in qua & calor & frigus in minimis noſtri corporis partibus ſentiuntur, quod ipſum manifeſtè de diverſitate partium hujus humoris teſtatur. Alia Syncopalis à ſymptomatis hujus frequentia ita dicta, & ab humoribus vitioſis orificio ventriculi impactis vel in aliis partibus hærentibus, vaporesq; putridos ad cor mittentibus, orta.

§. 5. Venæſectio in febri quotidianâ non ita quemadmodum in reliquis febrium ſpeciebus locum habet, & cautè admodum adhibenda, ſi nimirum indicantia adſint. Humoris indoles diætam indicat attenuantem & incidentem, communemque reliquis omnibus ſcil. humectantem & refrigerantem ſed parcè.

§. 6. Exacerbationes periodicæ aliquando ad octodecim horas durant, integerq; morbus ad quadraginta & plures aliquando protrahitur dies.

§. 7. Tertiana continua ſuas exacerbationes tertio quoque die habet, & à ſanguine bilioſo in venæ cavæ propaginibus putreſcente oritur.

§. 8. Quartana continua nunquam itidem ad ἀπυρεξίαν pervenit, at quia typum servat quartanæ intermittentis ratione exacerbationis, quæ quarto quoque die fit, Quartana dicitur. Causa hujus febris melancholicus sanguis est, in ramis venæ cavæ putrescens. Signa Diagnostica cumulare non est necessum, cum è periodis exacerbationum species febris, & ex humoris febrim facientis indole reliqua signa, curandiq; ratio innotescant. Cum enim tertiana fiat à bilioso sanguine, qui propter bilem aptior ad incensionem est, pulsum etiam concitatiorem urinamque coloratiorem adesse necessum est; In Quotidiana verô omnia contrario modo se habebunt, atque pituitæ in venis copiam etiam ex urinis agnosces, Quartana è calore obtuso, pulsu parvo atque tardo innotescet, nisi melancholicus humor magis magisq; calefiat, vel in atram bilem degeneret, quæ ab aliis melancholiæ contradistinguitur, tunc enim vehementiora omnia esse necessum est.

CAPUT VIII.

§. 1. Post Continentes & Continuas, de quibus dictum sequuntur intermittentes, qvæ certis saltem affligunt periodis, præcedente horrore rigore vel frigore, quæ aliquando in continuis sequuntur; & singulis hæ paroxysmis finitis ad ἀπυρεξίαν perveniunt, quibus à prioribus facilè discernuntur.

§. 2. Dividuntur ratione typi in Tertianas, Quartanas & Quotidianas; Et Tertiana à bile, Quotidiana à pituitâ, Quartana à melancholiâ in venis mesaraicis putrescentibus his humoribus ortum habent.

§. 3. Facilè has ipsas inter se distingues, si saltem ad paroxysmi reversionem vel quotidie vel tertio vel quarto die factam, & secun-

& secundò ad humorem febrim causantem, qui se in urinâ, tùm etiam aliis symptomatibus prodit, attendas.

§. 4. Contingit autem aliquando, ut non sola pituita vel bilis aut melancholia peccet, sed diversi humores conjungantur, unde febres compositæ (ut est inter alias semitertiana, composita è Quotidiana continua & Tertiana intermittente à bile & pituitâ ortum ducens) quarum paroxysmi vel eodem incipiunt tempore, vel alter paroxysmus alium excipit, ut altero finito, alter incipiat: vel altero paroxysmo nondum finito, alter jam subintret. Hæ omnes in diagnosi à simplicium cognitione dependent, ut qui illas earumq; causas noverit, etiam in harum curatione & dignotione non facilè aberret.

§. 5. Duplicantur quoque sæpius simplices febres intermittentes, & hinc Tertiana duplex, cujus paroxysmus vel quotidie semel nullo die vacuo relicto, vel tertio quoque die bis hominem invadit: Quotidiana duplex quæ bis viginti quatuor horarum spatio; & Quartana dulpex, quæ secundo semper die innoxio tribus reliquis affligit, vel nullum etiam diem homini paroxysmo suo non molestum relinquit; & Quartana triplex nominatur, quæ itidem à simplicium curatione non multum variant. Prognosis harum omnium compositarum difficilem esse curationem indicat, cum in his ipsis febribus vires ægroti magis debilitentur.

§. 6. Curationem omnium putridarum quod attinet, tàm Intermittentium quàm Continuarum, ea absolvitur primò lenientibus alvum medicamentis, vel etiam Clysteribus: Secundò venæsectione, quæ tamen in quotidianâ cautè adhibenda, vel omnino, nisi necessitas quædam adsit, omittenda: Tertiò purgatione vel vomitu, eò ducendo humorem vitiosum quò vergit; quartò sudoriferis: quintò diureticis, si ægrotis id ex usu sit; sextò

ſextò cordialibus omni morbi tempore adhibitis, ut cor tanquam principalisſimum membrum, hujusq; morbi ſubjectum corroboretur, atque à putridis vaporibus defendatur.

§. 7. In omni febris putridæ ſpecie id præprimis agas, ut humori febrim cauſanti debitum opponas remedium tam ex alterantium claſſe, quam è purgantium tabulâ deſumptum, ejusdemque indolem probè perſpectam habeas, ne vel in curatione vel in diæta ægro conveniente à recto aberres tramite.

CAPUT IX.

§. 1. Malignæ febres à prioribus majori humorum corruptionis gradu differunt, unde cor magis lædunt, vaporibus putridis ad naturam veneni accedentibus, gravioraq; ſymptomata inferentibus.

§. 2. Signa ſunt virium inſignis dejectio, citra caloris febrilis vehementiam, pulſus frequens & parvus, aliquando naturali non disſimilis, & denique tumores vel maculæ apparentes in cute.

§. 3. Species febrium malignarum ſunt, febris cum variolis & morbillis, febris petechialis, morbus Ungaricus, febresque aliæ malignæ à ſymptomate, ut: à tusſi, catharro &c: nomen habentes, quò etiam pertinent febres peſtilentiales.

§. 4. Febrium harum omnium continuarum quævis ſpecies ſignis ſuis diagnoſticis facilè diſcernitur: ſic febris cum Variolis è puſtulis nulli non notis, cum præcedente capitis quadam gravitate, oculorum obſcuritate, colli & dorſi dolore, tusſi ſiccâ, nariumque pruritu cognoſcitur. A febri hâc cum variolis, febris cum morbillis parum differt, illâq; cognitâ, facilè dignoſcitur. Petechialis febris maculis morſibus pulicum non abſimilibus,

libus, sine omni protuberantiâ, aut exulceratione, in dorso, brachiis, cruribus vel pectore apparentibus, se prodit. Varii hæ maculæ coloris sunt, melioris tamen notæ rubræ lividis, vel alterius alicujus coloris: In medio harum nullum punctionis vestigium conspicitur, & sic distinguuntur à pulicum morsibus. Febris Ungarica aliis morbus Castrensis & Militaris, agnoscitur è vehementi capitis dolore, duritie & renitentiâ circa ventriculum sub mucronata cartilagine, reliquisq; malignitatis indiciis. Reliquæ febres symptomate suo ut tussi, spasmo, catharro &c. unde nomen suum habent distinguuntur. Pestilens prægressis infecti aëris indiciis, contagio, bubonibus, & carbunculis, symptomatumq; sævitiâ innotescit.

§. 5. Causæ omnium sunt putridi maligni & indolem formalis veneni ferè servantes vapores, cordi facultatiq; vitali admodùm infesti, qui ab aëre infectò, ejusdemque vitio sanguini nostro communicato, vel à contagio, vel à pravâ diætâ, & in specie variolas & morbillos quod attinet, ab alimento in utero ultimis mensibns vitioso existente, originem ducunt.

§. 6. Curatio peragitur medicamentis malignitati resistentibus, alexipharmacis & sudoriferis: semperq; danda opera, ut à centro ad peripheriam corporis vitium depellatur, quapropter natura medicamentis in expellendo juvanda. Venæsectio hîc locum non habet, nisi vel magna sanguinis abundantia, magnusve ejus æstus in vasis adsit. Purgationes quoq; per vehementiora hîc excluduntur, saltemq; ubi evacuatio necessaria, lenientibus per vices exhibitis, vel clysteribus agendum. Præservationis autem tempore dum vires adhuc integræ purgatio itemq; venæsectio admittitur. Neq; semper iisdem Alexipharmacis & malignitati adversantibus remediis agendum, sed semper ut in omni morbo ad primas quoq; respiciendum qualitates, ut ratione caloris vehementioris vel minus intensi calidiora vel temperatiora pharmaca exhibeamus.

§. 7. Pe-

§. 7. Periculosæ admodùm sunt hæ febres & præsagia potissimum à viribus, naturæq; in pellendo veneno ad extremas partes robore & facilitate desumuntur.

CAPUT X.

§. 1. Hectica febris continua tertium & ultimum febrium genus constituit; Neq; enim vel ab incendio spirituum, vel à putredine humorum dependet, sed solidam cordis reliquarumq; partium substantiam occupat, eiq, habitualis fit. Duplex harum febrium species est, ut vult Ægineta lib. 2. cap. 32. quarum prior ut plurimum febribus ardentibus supervenit; altera v. dum hominem invadit, Ephemeræ non est absimilis, primaq; die omnia Ephemeræ signa adsunt, sequenti die calor non augetur sed ariditas, tertio die non repetit, non aucta evidenter neq; imminuta ut habet Cœsalpin. lib. 2. de febr. c. 10. Et hæc prima species hecticæ est, quæ alicui alii febri non supervenit, sed per se hominē invadit.

§. 2. Secunda hujus species est, cum calor substantiæ carnosæ factus magis familiaris & habitualis, propter æqualitatem non sentitur, neq; molestus est, à cibo tamen & potu instar calcis affusâ aquâ vapores calidiores emittit, volæq; manuum plantæq; pedum à tangentibus calidæ sentiuntur. Adest præterea ariditas corporis, pulsus imbecillior, celer, frequens, cum duritie quadam, urinæ supernatant oleosa, & præter ea colliquationis indicium à sedimento farinæ simili desumitur.

§. 3. Tertia species est, cum calor non solùm partem roridam carnosamq; depascere contentus, ad membranosam ligamentosamq; substantiam pergit. Signa hujus sunt corporis totius extenuatio, cavi oculi, nasus acutus, collapsa tempora, color à vivido prorsus degener, pulsus sub ventriculo, abdomenq; adeò depressum, ut exenterati, nullaque intestina habere videantur; pulsus parvus, frequens, nisi putrida febris conjungatur.

§. 4. Ul-

§. 4. Ultima ſpecies incurabilis eſt, protrahi tamen morbus poteſt ad menſes, imo annos aliquot. Secundæ verò & primæ curatio, perficitur refrigerantibus & humectantibus, cibisq; multum nutrientibus: Commendantur ad id decoct. hord. cum Syr. viol. Conſerv. Roſar. Bugloſ. Cichor., Lac. aſinin. mulieb. caprin. vaccin. quoque ſeparata butyroſâ parte, jura carnium, ova ſorbilia &c. de quibus conſule practicos.

§. 5. Symptomaticæ febres cûm à partis alicujus inflammatione dependeant, peculiarem tractationem hîc non merentur, ſed ad claſſem particularium morborum referuntur, earumquè curatio à curatione morbi primarii dependet, quo ſublato & ipſum ſymptoma tollitur.

§. 6. Ultimo loco cum præter dictas febrium differentias, quæ à ſubjecto cui calor p. n. inhæret, deſumptæ ſunt adhuc aliæ dentur, paucis eas ſubjungere libet. *Hipp. l. d. morb. vulg. VI. Sect. 1. Febrium,* inquit, *quædam manui mordaces apparent, quædam verò mites; aliæ minus mordaces quidem at increſcentes. Aliæ autem acutæ quidem, at quæ tamen manui cedant. Partim verò confeſtim exardeſcunt, aliæ autem in totum debiles apparent & aridæ. Quædam etiam ſalſæ, nonnullæ verò flatulentæ, aſpectu horrendo, aliæ tactui madentes. Aliæ quoq; prærubræ, quædam etiam lividæ, quædam præpallidæ, aliaq; id genus.* Harum aliæ ab ipsâ febris eſſentiâ calore ſcil. p. n. deſumptæ eſſentiales meritò differentiæ audiunt; Aliæ verò ut à colore, accidentales; atq; earum quasdam tactu facilè deprehendimus, videlicet δακνώδεες ἢ πρηέες; quasdam verò viſu, quales ſunt ἐξέρυθροι καὶ πελιοί. Aliæ & tactu & viſu, ut ſunt ἀλμυρώδεες, quas Hoffman. cum ταῖς λιγγυώδεσις; favilloſis easdem eſſe vult, in quibus ſe oſtendunt puſtulæ aquoſæ rubicundæ cum magno pruritu. Quales autem illæ ſint, quæ πεμφιγώδεες dicuntur, & quomodo legendum ſit, videatur Galen. in eund Hipp. libr. comment. 1.

MEMBRUM II.

Disp IV. Respond. MICHAELE LINEMANNO, Reg. Bor.

CAPUT. I.

§. 1. Perspectâ jam partium Similarium naturâ propius ad limina accedimus nobilissimæ scientiæ quæ de partibus Microcosmi habetur; Lustraturi partium dissimilarium substantiam, situm, figuram, connexionem, magnitudinem & quæ sunt reliqua, quæ è partium historiâ anatomicâ hauriri possunt: Quibus cognitis in usum earundem inquiremus & quod modis à naturali recedant statu investigabimus.

§. 2. Ordinem in hoc opere observabimus non quem nobis partium dignitas & præstantia suggerit, sed eum, qui commodam secandi rationem sequitur, ut unâ eâdemq; operâ & secandi methodum & partium absolvamus historiam. Neque etiam ratione generationis respectum habendum esse ducimus: ita ut pars quæ prior generatione, priorem etiam locum in historiâ partium teneat; discernuntur namq; & augentur membra omnia simul, neq; alterum altero prius est, neq; posterius: quæ tamen natura majora minoribus priora conspiciuntur, cum nihilo priora existant. Vide *Hipp. l. 1. d. victus rat. p. 347. l. 30. edit. Foes.*

§. 3. Dividitur corpus humanum in tres cavitates, quarum quævis nobile aliquod viscus continet, ut sunt: Cerebrum, Cor & Epar; primaq; cavitas, quæ cerebrum complectitur suprema regio dicitur & Caput est: Media regio in qua cor recōditum est; Thorax dicitur: Infima quæ Epatis domicilium est; abdomen communiter vocatur vel venter infimus; Ultimum divisionis membrum, artus sunt. Hæc divisio quæ plerisq; placet, hominemq; in Caput, Thoracem, ventrem infimum & artus distinguit; accuratæ divisionis notas nobis habere non videtur: Collum siquidem neq; ad thoracem, qui claviculis terminatur, neq;

ut pleriq; volunt ad Caput, quod collo insidere dicit Hipp. referre quis commodè poterit, nisi quia capitis fulcrum collum est, idem sub eo comprehendi velis; quod tamen idem esset ac si pedes trunci superioris fulcra sub trunci nomine intelligi contenderes. Neq; insignis ἀκυρολογία evitari hâc ratione posset, si laryngem vel supremam gulæ partem in supremâ cavitate, quæ caput apud omnes audit, sitam esse diceres.

§. 4. Magis nobis arridet ea divisio quæ habetur in Arist. l. 1. d. hist. an. c. 7. & corpus distinguit in Caput, Collum, thoracem, brachia atq; crura, voce thoracis more Græcis usitato eam partem intelligendo quæ à collo ad pudenda usq; excurrit. Cum tamen hodienum recepta sit illa trunci divisio, quæ eundem dividit in thoracem & infimum ventrem, intercedente inter utrumq; medio diaphragmate, hanc distinctionem relicta priori capitis cum collo confusione retinemus. Atq; ita integrum corpus dividimus in Caput, Collum, thoracem, infimum ventrem & artus.

§. 5. Ab infimo ventre dignitate licet ultimo initium sectionis instituimus, ut partes putredini magis obnoxiæ primò removeantur ad evitandum fœtorem. Ratio a. sectionis hæc esto: Quadratum circa umbilicum delinea, ita ut anguli ejusdem duo latera, tertius vero cartilaginem ensiformem, quartus pubem, respiciat. Hoc facto, à quovis angulo secundum rectam lineam, crucis in modum, cutem scalpello incide, superius ad Ensiformem cartilaginem usq;, inferius ad pubem, & à latere utroq; usq; ad vertebras ferè, penetrando scalpello usq; ad pinguedinem. Deinde trajecto per umbilicum filo, elevabit eundem astantium aliquis, factâq; incisurâ secundum quadrati latera, cutim hamulis apprehendens separabis eandem à subjectâ pinguedine; pinguedinem vicissim simul cum panniculo Carnoso, qui medius inter pinguedinem & membranam musculorum propriam est, à subjectis liberabis musculis. In parte aliquâ cutis, cuticulam, quia

vix

vix cultri acie ſeparabilis eſt, vel ferro ardenti, vel aquâ calidâ adures, ut in puſtulas elevetur atq; ſic commodè demõſtrari queat: Et hæc prima erit operatio.

§. 6. His ita præparatis & in locum ſuum repoſitis totum illud quousq; ſectio crucis figurâ facta ſe extendit, venter infimus erit, qui in tres dividitur regiones, ſuperiorem, Mediam & infimam; ſuperior à Cartilagine enſiformi incipit & usq; ad umbilicum excurrit, græcis ἐπιγάστριον dicitur hujusq; partes laterales Hypochondria, quaſi ὑπὸ τῶν χονδρῶν quod ſub cartilaginibus coſtarum notharum ſint, appellantur; in quorum dextro Hepar ſitum eſt, in ſiniſtro vero lien, medium inter hæc locum tenente ventriculo cum parte aliqua Hepatis. Media regio umbilico definita, umbilicalis dicitur; Infima v. Hypogaſtrium, quod inter umbilicum & pubem interjacet dicitur, hujusq; dextra & ſiniſtra pars Ilia dicuntur, Græcis κενεῶνες, λαγόνες, quod partes hæ laxæ & flaccidæ ſint. Infima hujus Hypogaſtrii pars viciſſim tripliciter dividitur, mediumq; pilis intectum pubes, Græce ἐφήβεον vocatur; latera vero bubones ſeu inguina appellantur. Poſterior abdominis pars ab extremis coſtis usq; ad finem oſſis ſacri protēditur atq; lumbos conſtituit; ſuperiorem lumborum partem pulpam à palpando dictam eſſe vult Laurentius, Græcis dicitur ψόα, Inferioris partis dextrum & ſiniſtrum clunes dicuntur.

§. 7. Sequitur jam partium ſeparatarum uſus; quarum prima Cuticula cum cute corporis totius integumentum conſtituit, mediumque quo tactus perficitur, eſt; unde temperatam hanc partem eſſe conveniebat, ut tam frigoris quam caloris exceſſus à nobis perciperetur, quod non fieret, ſi vel caliditatis vel frigiditatis exceſſu gauderet; ita enim vel frigida ſaltem ſi calida eſſet, vel calida ſolùm ſi in exceſſu frigida eſſet, ſentirentur.

§. 8. Tenuiſſima debuit eſſe cuticula græcis ἐπιδερμὶς ut ſpecies tactiles ad propagines nervorum in cute deſinentes facilius

transmitteret. Vasa nulla arteriosa vel venosa, quemadmodum cutis, obtinet, neq; obtinere potuit; necessum enim fuit ora vasorum ab aliqua parte tecta esse, ut perpetuus humorum effluxus prohiberetur. Poris quidem instructa, attamen densa satis, ut saltem tenuissimi & ichorosi humores sub vaporis specie transsudarent. Notabis hic, in aliquibus subjectis tantam cuticulæ esse densitatem ut exhibitis sudoriferis difficillime admodum ad sudorem commoveri queant. Generatur à parte sanguinis glutinosâ quæ humida existens partim ab externo frigore, partim à caloris defectu, (quia à caloris fonte cuticula remotior est) tum etiam à frigido quod humido inesse vult Hipp. cogitur & condensatur. Modum generationis optimè ex Hipp. l. d. carn. p. m. 251. disces: *Si quis, inquit, humani corporis particulam quamcunq; volet, secet, sanguis calidus effluet & quamdiu quidem calidus fuerit, liquidus erit; ubi verò tum ab insito, tum ab externo frigido perfrixerit pelliculâ & membranâ obducitur. Quâ detractâ si quis pauco tempore sinat, aliam enatam pelliculam videbit, eamq; si quis semper auferat, alia à frigido pellicula producetur. Sed hujus rei gratia longior sum, ut ostendam corporis summum aëri obversum à frigido pelliculam contrahere.*

§. 9. Utraq; tam cutis quam cuticula sensu caret, quod in cute capitis maximè manifestum, ubi musculis libera est; sensum tamen obtinet, doloremq; vulnerata (cutis scil.) in aliis partibus majorem in aliis minorem excitat, ob membranosas nervosasq; partes cutis substantiæ intertextas. Cutis arteriolis quibusdam pro nutritione, venis item in brachiis, thorace & dorso, ab axillaribus, in collo & capite à Jugularibus prodeuntibus instructa: Tenuior quoq; & mollior est in aliis partibus ut, in labris, volis manuum, pene, & cæteris, in aliis crassior & durior.

§. 10. Pinguedinem itidem integumentorum usum obtinere & corpus ab externis injuriis nimiâq; siccitate tueri constat: Generatur pinguedo à parte sanguinis pinguiori & aëreâ quæ

dum

dum in venis est, fluida existit, ex iisdem vero elapsa ob motum denegatum & caloris gradum diminutum concrescit atq; condensatur. Si mediocri quantitate hæc substantia corpori inest: ad sanitatem confert, ut vult Philosophus lib. 2. d. part. c. 5. Si vero excedat atq; in nimiam mollem excrescat, corpus reddit malè dispositum & ad functiones animales obeũdas minus idoneum, animalis enim pars hæc ipsa non est, quia quemadmodum & sanguis non sentit, unde animalis natura perit, & celeriter senescunt quæ valdè pinguescunt. Sterilitatis etiam causam eodem loco vult Philosoph. nimiam pinguedinem esse, quia plurimum sanguinis, quod aliàs in genitale cederet semen, in pinguedinem transit. Venas habet pinguedo mammariam externam descendentem, & Epigastricam ascendentem, glandulasq; varias.

§. 11. Panniculus carnosus seu membrana carnosa finem cum aliis integumentis communem habet. Connectitur mediantibus fibris cuti quibus & pinguedinem à diffluxu defendit.

§. 12. Membrana musculorum propria tenuis admodum peculiarem tractationem non meretur, usumque ipso nomine exhibet.

CAPUT II.

§. 1. His ita demonstratis ad musculorum abdominis sectionem te convertes quæ duplici ratione perficitur, vel subjecto in suo situ manente, & tum in concursu tendinum, sive linea semilunari sectio inchoanda; vel subjecto in alterum latus revoluto à dorso consistens musculum obliquè descendentẽ à serratis propaginibus musculi serrati antici majoris, facta scalpello incisione liberabis, & reliquam operationem καθὰ δέον institues & infernè cum ab osse ilium abscindes, illæsâ relictâ lineâ semilunari. Hos sequuntur oblique ascendentes, quorum sectio à lumbis incipienda & separatio naturâ duce oculisque viam monstrantibus,

ut in priori factum, peragenda. Tertio loco pyramidales, à pinguedine & membranis liberandi; post hos Recti separandi, in quorum separatione attendes ad venam mammariam & Epigastricam sibi invicem occurrentes, ne dum supernè hos musculos à cartilagine ensiformi resecas, vasa hæc violentur. Ultimo loco musculi transversi à peritonæo liberandi & cautè scalpellum adiges, ne peritonæum lædas.

§. 2 Primum par obliquè descendentium quod maximum & latissimum alii cum Gal. à costarum sextâ, septimâ, octavâ & nonâ oriri & tendine suo in lineam albam, quæ nihil aliud est, quam concursus tendinum, desinere volunt; alii ut Aquapendens & Laurentius falsitatis priores accusantes principium ab osse ilium, pubis & transversis lumborum processibus esse contendunt, & hinc nomen quoq; immutandum ut obliquè ascendentes potius nominentur.

§. 3. His subjicitur alterum par obliquorum, qui consensu Anatomicorum ab osse ilium originem ducunt, in costas inferiores inseruntur, Tendineq; suo in lineâ albâ cum aliis concurrunt; fibras habent prioribus oppositas, illasq; instar literæ X. decussatim intersecantes.

§. 4. Pyramidales aliis succenturiati ab osse pubis orti & in acumen desinentes, tendinosæ rectorum musculorum parti uniuntur, fibrarumq; cum rectis eundem ductum servant.

§. 5. Recti quos alii secundum intersectiones membranosas vel tendinosas plura paria constituere volunt, secundùm Gal. ab utraq; parte cartilaginis Ensiformis originem habent & in os pubis inseruntur. Contrarium & in his statuit Laurent. operis anat. l. 5. c. 32.

§. 6. Transversi ob fibras transversas sic dicti ab Apophysibus vertebrarum lumborum exorti, peritonæo arctissimè cohærentes, in lineam albam inseruntur.

§. 7. Hæc

§. 7. Hæc de exortu & inſertione muſculorum præmittere voluimus ne incuriâ neglexiſſe eadem videremur. Controverſias enim, quæ de exortu moventur non magni facimus, atq; curioſitatem illam tanquam ſuperfluam damnamus potius. Dividimus muſculũ omnem (qui græcis μῦς dicitur ἀπὸ τοῦ μύειν quod contrahere ſignificat) non quidem in partes à figurâ externâ deſumptas, quæ admodum variat, in caput ventrem & caudam, ſed in eſſentiales & ſubſtantiales, carnoſam nimirum & tendinoſam ſeu fibroſam partem quæ vel ſegregata & multifariam ſciſſa apparet in medio præcipuè muſculi, vel unita in extremitatibus. Hæ partes ad muſculi ſubſtantiam conſtituendam ſufficiunt, aliis partibus quæ in muſculis apparent vel ad nutritionem vel ad ſpiritum animalem advehendum dicatis. Actionis verò cauſa potiſſimum eſt pars fibroſa quæ & in caudâ & capite ab aliis dicto ejusdem eſt ſubſtantiæ, easdemq; in actione muſculi edenda ſuſtinet partes: Actio hæc conſiſtit in contractione muſculi ſecundum omnes partes, fibris carnoſam ſimul partem contrahentibus. Contractio hæc membri alicujus motum à voluntate noſtrâ intentum efficit, motusq; hic membri voluntarius finis muſculi eſt, quem natura in ſtructurâ ejusdem intendit. Male igitur aliam partem caudam vel caput & vel hic vel alibi oriri dicemus, cum omnes fibroſæ muſculi partes æquè ad actionẽ muſculi concurrant, ejusdemq; ſint ſubſtantiæ, & ad actionem muſculi determinandam fibrarum ductum & cum quibus partibus connectantur obſervaſſe ſufficiat. Cum autem membrum aliquod uno moveri motu & vel attolli vel deprimi, extendi vel adduci naturæ non conveniebat, muſculos plures uno fibris ſuis ſibi oppoſitos natura partibus tribuere voluit; ut altero ſe contrahente membrumq; adducente, alter huic oppoſitus viciſſim ſe contraheret, motũq; contrarium efficeret, & hac ratione alterum muſculum antea contractum extenderet; quæ extenſio tamen non proprius iſtius muſculi motus eſt, ſed ſaltem ei per accidens competit.

§. 8. Fibrosam & tendinosam partem musculi primum locum in functione ejusdem tenere, & substantiæ ratio quæ ad movendum membrum aptior, & ocularis inspectio fidem pariens comprobat; ad hanc quoq; Arist.l 3. d. hist.an. c.5. ubi de instrumentis ad motum membrorum facientibus agit unice respicit & partem, quam alii musculum nominant νεῦρον διπλυχὲς, & τένοντα vocat; ut & hinc mirer, homines quosdam eò audaciæ processisse, ut Philos. de ignorantiâ musculosarum partium motus voluntarii instrumentorum accusent. Nomina ea quidem, quæ à Gal. aliisq; posterioribus seculis his tendinosis partibus sunt imposita, tunc temporis non in usu fuisse facilè largior; at num propterea rei alicujus scientia alicui deneganda?

§. 9. His cognitis facilè usum musculorum abdominis definire licet; scil. eosdem se contrahendo, partes subjectas dum comprimunt promovere distributionem chyli, inutilium excretionem & in parturientibus fœtus exclusionem. Itemque cum thoracem quoq; attingant ad ejusdem motum & consequenter ad respirationem aliquid conferre videntur.

CAPUT III.

§. 1. Musculis ablatis in conspectum venit Peritonæum sic dictum, quia διατείνεται s. circumtenditur infimi ventris partibꝰ, quas omnes instar sacculi ovalis figuræ continet, iisq; præterea tunicam largitur, quasdam etiam duplicatura membranarum suarum investit ut Renes & vesicam.

§. 2. Ut dextre partes demonstres, umbilico ope fili traducti elevato, peritonæum ab utroq; latere versus lumbos forfice vel scalpello divides & deinde ab altero latere secundum longitudinem versus superiora, incisuram facies, cavendo venam umbilicalem, quæ peritonæo hac parte annectitur; Hanc ubi à peritonæo liberaveris etiam alteram partem peritonæi superiorem ab umbilico rescindes & ad latus reclinabis. Idem facies in inferiori peritonæi parte, in qua itidem manu explorabis situm arteriarum umbilicalium & Urachi, ne partes hæ violentur.

EXERCITATIONUM ACADEMICARUM IN DOCTRINAM DE PARTIBUS CORPORIS HUMANI, EARUMQ; MORBIS, SEXTA,

Quam
Consentiente Amplissimâ Facultate Medicâ,
PRÆSIDE
FRIDERICO LEPNERO,
Med. D. & P. P.
Publicæ disquisitioni submittit
JOHANNES NEUCRANTZ,
Stralesund. Pomeran.
In Aeroaterio Majori
Ad diem Junij hor. antemeridianis.

REGIOMONTI
Typis JOHANNIS REUSNERI ELECT. & ACAD.
TYPOG. AO. 1665.

CAPUT VI.

Disp. VI. Respond. JOHANNE NEUCRANTZ, Stral. Pom.

§. 1. Frustratur fine suo, χυλώσ nimirum, Ventriculus, ubi à naturali constitutione recedit, unde varii ejus Affectus: *Cardialgia, Syncope Cardiaca, Apepsia, Bradypepsia, Dyspepsia, βέλιμ@ sive Canina vorandi Cupido, ἀνορεξία sive dejecta Appetentia, Sitis immodica, Ardor, Singultus, Ructus, Vomitus,* Ναυτία, *Cholera, Inflammatio, Ulcus & Vulnus.* Hi omnes oriuntur vel ab intemperie simplici Calida sc., Humida, Frigida, & sicca; vel ex his secundum quatuor combinationes composita, utraq; existente vel sine materia vel cum materia. Vel à Flatu, Humore aliisq; reb9 inimicis, non solùm primis Qualitatibus, sed & secundis eidem molestis, & acrimonia sua, Aciditate, Salsedine, Amarore, eundem infestantibus: vel deniq; à rebus externis, quæ continuitatem Ventriculi dissolvere apta sunt.

§. 2. Signorum classe hic opus non est, si quidem è relatione ægri & pars affecta & morbi species facilè innotescunt. Curatio in genere consistit in eo, ut intemperiei sine materia è classe stomachicorum Alterantium debita opponantur remedia. Materia verò vitiosa ubi adest, atq; causa continentis rationem habet, eadem purgantibus è corpore expellenda; Hac enim sublata & morbus cessat. Summopere autem observandam in curatione Ventriculi ejusdemque inflammatione præcipuè, ne nimium relaxantibus robur ejus offendamus, & hinc Adstringentium habenda ratio, cum ex eorundem neglecto usu ægri periculum vitæ incurrant, ut testatur *Galen. lib. 8. de compos. medicam. secundum Locos ab initio.*

§. 3. In specie *Cardialgiam* sive *Cardiogmon* quod attinet, *Dolor* is est *Oris ventriculi* (quòd priscis καρδία dicebatur) ortus, (quemadmodum omnis alius dolor) à solutione continui; quæ fit vel à Flatu aliisq; rebus Orificium nimium distendentibus;

 vel

Vel ab Humore erodente, unde *Morsus*, *Singultus*, *Syncope*. *Humor* verò erodens vel est *Bilis*, quæ agnoscitur à Vomitu amaro; vel *pituita salsa*, quam prodit sapor in ore salsus, sitisq; ingens; Vel *atra bilis*, à qua Vomitus fuscus, acerbus, acris, dentesq; obstupefaciens. Humores hi vel mobiles sunt & per intervalla ad orificium deferuntur, vel tunicis orificii impacti; Hi dolorem continuum efficiunt; Illi per intervalla affligunt. Oritur quoq; dolor facta contusione ab Ictu externo, vel à duro corpore Orificio incumbente; vel ab intemperie sicca (quæ tamen per se sola, nisi accedat distentio, dolorem non excitat) vel ab Inflammatione quæ Comitem solet habere Febrem, Sitim, Appetentiam dejectam, Singultum, Syncopen, & sumpto cibo exacerbationem doloris; vel deniq; à vermibus. Vel etiam per consensum dolor oritur, ut in vulneribus capitis manifestum est, à quibus & orificium ventriculi patitur.

§. 4. Si *Dolor* sit ab imflammatione, Affectus periculosus est, &, si accedat *Syncope*, lethalis. Si ab intemperie sicca ortum à febre ducente, ferè incurabilis est. Ex ulcere difficilimè curatur, & longo tempore ad sanationem indiget. Ab impactis humoribus difficilius: à vagis & fluctuantibus, itemque Flatibus minus difficulter.

§. 5. Curatio, vel respicit Dolorem, ubi Is nimirum viget, vel causas hujus Affectus. Ad dolorem faciunt Anodyna, qualia sunt *Ol. amygdal. dulc.*, *Theriac. rec.* ℈j. *Opii correct.* gj *vel* ij *cum Conserv. rosar. Aq. flor. Chamamel. destill.* ℥iij; *Vel Philon. roman.* ℈j, quod ad omnium partium ferè abdominis dolores maximè commendatur. Ratione verò causarum, si à Flatibus dolor originem trahit, carminativa conveniunt, qualia sunt *Sem. Dauc. fœnic. anis. bacc. laur. Spec. diatrion. piper. diagalang. e. Vino generoso propinata*: Extrinsecus fotus è Carminativis & dolorem sedan-

ſedantibus: Illitus quoq; *ex ol. rutae. aneth. Chamamel. nardin. maſtichin. ſalv. nuc. moſchat. addito pauco Caryophill.* Vel imponatur *Empl. de Bacc. laur.*, *item panis toſtus imbutus Spirit. vin.*, *& inſperſo pulv. Caryophyll. atq; Cumin.* Si Humor vitioſus in cauſa ſit, Is expurgandus erit; Ad quod in primis laudantur ea Medicamenta, quæ Aloen pro baſi habent, & interea ad humores tunicis impactos *Hiera Galen. picr. ſimpl.* E cujus ſpecie melius pilul. formantur ad evitandum ingratum ſaporem, qui tamen non ſemper attendendus, modò medicamentum ægroto ſit proficuum. Pituitæ benè opponuntur Incidentia & Attenuantia, ut *Oxymel ſimplex & compoſitum, Syrup. de Hyſſop.* Vitanda ſunt multum Calida, quæ aliàs pituitæ conveniunt, quia eadem facilè humorem pituitoſum in flatus reſolvunt. Vomitus quoq; confert per *decoct. aneth. vel raphan. cum Oxymel.* ſi pituita peccat; Si verò bilioſus, acris & tenuis humor, per *Aq. tepidam vel decoct. hord.* addendo aliquid *de Sale Vitrioli.* Ubi ab inflãmatione dolor, abſtinendum à purgantibus & ſolùm Lenientibus, ut Caſſ., ol. amygd. dulc. utendum; Ad refrigerandum *conducit decoct. hord. Syrup. de Endiv: Roſar: Succ. granat. cum Aq. Endiv. Cichor: itemq; abſinth:* Poſt 7. dies digerentia, ut *aq. fænic. cum ſucc. abſinth:* exhiberi poterunt: In fine inflammationis *Hiera* utiliter præſcribitur. Victus ſit tenuis. In Ulceris principio abſtergentia absq; acrimonia, poſtea glutinãtia danda ſunt, ut *bol. armen cum maſtich. & ſacchar. roſar.* Ad Siccitatem à frigore contractam conveniunt calida fomenta; Si ab Atrophia ea ſit, multum nutrientia exhibenda. Vermes ſuis remediis ſunt expellendi, ad quod commendatur *Dictamn. Cretic.* ℥j. *c. aq. gentian. & Zedoar atq; Cyperi ſemin. pulveriſato.* Res duræ ventriculo incumbentes, & vel pondere vel acumine eidem moleſtæ, ubi Vomitu rejici nequeunt, ad deſcenſum aptiores redduntur, ſi vias lubricas juſculis pinguioribus

 decoct.

decoct. malv. alth. c. semin. lin. itemq; oleis efficiamus: Quod si in fundo ventriculi hæreant, atq; ægro exinde periculum vitæ immineat, sectione opus est, quam in Cultrivoro Pragẽsi *Anno 1602.* itemq; Prussiaco: *Anno 1635.* feliciter administratã Historica clarorum Virorum relatio nos docet.

§. 6. *Syncope Cardiaca* à priori Affectu frequentia hujus symptomatis, unde & nomen habet, differt; Et quia Cor per consensum patitur, graviora sunt omnia, adest quoq; febris acuta, Extremitatum Frigus, animi angor, corporis jactatio, Curatio, quia easdem cum Cardialgia cognoscit causas, non variat.

§. 7. Απεψία quando nulla, & βραδυπεψία, quando debilis fit in Ventriculo concoctio, oritur ab imbecillo ventriculi calore, vel etiam fibrarum relaxatione, unde calidis stomachicis & adstringentibus utendum est. Δυσπεψία plerumque à calida ventriculi intemperie provenit, unde cibi concoctu faciles facilè corrumpuntur, à quibus nidorosi ructus; aliquando etiam à copia acidi succi chylus inficitur, unde ructus acidi. In priori δυσπεψίας specie Refrigerantia & Chologoga conveniunt, inprimis diæta ex cibis, qui non facilè corrumpuntur; In altera verò moderate Calefacientia & Vomitus.

§. 8. Tanquam Excessus & Defectus in appetendo opponuntur sibi βούλιμος sive Canina Appetentia, & Ανορεξία sive dejecta Appetentia: Illa ab acido succo, qui ob frigidam intemperiem ventriculi plerumque cumulatur, vel à magna in partibus alimenti inopia provenit; Hæc à pituitâ frigidâ omnis acrimoniæ experte latera Ventriculi & orificium superius oblinente oriri videtur. Succedit autem Caninæ Appetentiæ Appetitus omninò prostratus, quia à cibo præter modum ingestô facilè debilis Calor obruitur & extinguitur, à quo interitus. Ανορεξία remedia pituitæ opposita postulat. Præter hæc vitia tertium quod-

quoddam Appetitus depravati est prægnantibus præcipuè familiare, & Pica Gr. κίττα nominatur; Quo qui laborant, res aliàs ab Appetitu & naturà alienas appetunt, vel ob humores pravos in ventriculo existentes, quibus Nervi orificii aliquando imbuti eò magis res alienas admittunt; vel ob φαντασίας vitium, quod ferè semper hoc in Affectu adesse existimo; Quanta namq; vis sit Facultatis Imaginatricis (in prægnantibus præsertim) Appetitum naturalem ad hoc vel illud appetendum inclinantis, in confesso apud omnes est. Non melius autem huic malo obviam itur, quàm si rebus alienis, quæ appetuntur v. gr. luto, arenæ, cretæ, carbonibus &c. admisceamus Vomitoria vel Purgantia, quæ nauseam excitant; sic enim delusus Appetitus nauseam rebus anteà desideratis imputat, atq; eadem posteà respuit.

§. 9. *Sitis immodica* à salsis & biliosis humoribus, qui Ventriculi orificium caliditate & acrimonia stimulando continuum Appetitum frigidi & humidi efficiunt, ortum ducit. Hunc Affectum humoris acrimoniā & caliditatem temperātibus eundemq; evacuantibus remediis curamus.

§. 10. *Ardor Stomachi*, qui humorum est ebullitio, ita, ut humores ad gulæ superiorem partem usq; ascendant, oritur à pugna contrariorum humorum, quales sunt acidi & amari, qui sui Evacuationem indicant. Sedatur quoq; illa Ebullitio *bol. armen. Creta c. sacchar. cand. Mag. Cancr. & Corall.* à quibus tamen, nisi causa evacuetur, morbus recurrit.

§. 11. *Singultus* motus ventriculi convulsivus est, quo id, quod sibi molestum est, expellere conatur. Causa hujus Affectus est id, quod vellicare ventriculum, præprimis ejus Orificium superius, aptum est, & vel humor vel vapor inimicus est; quibus partim evacuantia, partim discutientia, partim etiam exquisitum partis sensum obtundentia opponenda, qualia sunt *Philon-*

Rom. Laudan. opiat. c. bol. armen. & terr. sigill: additis etiam aliis Ventriculo gratis. Lethalis est singultus, si ægroto maxime debili, deliquio animi vel delirio laboranti obveniat.

§. 12. *Ructus* à Flatibus per Os erumpentibus orti vel acidi sunt, & tunc intemperies ventriculi frigida corrigenda; vel nidorosi, (quales sunt, qui ab Allio, Raphano vel Cepis comestis elevantur) qui si ab assumptis facilè corruptibilibus & naturam eam habentibus, ut ejusmodi Flatus excitent proveniant, iisdem abstinendum est; Si verò ab intemperie calida ventriculi eveniant, ea refrigerantibus moderatè & admixtis adstringentibus emendanda.

§. 13. *Nausea & Vomitus* tanquam majus & minus differunt: Excitatur verò vomitus à rebus vel Copia vel Qualitate ventriculo molestis, quarum natura ex iis, quæ vomitu rejiciuntur, cognoscenda. Sequitur aliquando affectum alium, *Tumorem, Ulcus, Inflammationem*, & tum ad eos curatio est dirigenda. Si vitiosi & naturæ prorsus inimici humores rejiciantur, non compescendus est vomitus, sed juvandus potius, si verò vires nimium debilitentur, Clysteres revellentes injiciendi: Ubi verò ab imbecillitate retentricis ob relaxatas fibras vomitus oboritur, adstringentibus agendum, qualia sunt *Magist. Corall. rad. tormenmentill. lign. aloes pulverisat. c. syrup. granat. vel acetos. citr. Mastich.* &c. Prodest etiam extrinsecus regioni ventriculi *decoct. absinth.* & menthæ admovere, *itemq; panem tostum Theriacâ* illitum. Si vomitus sit ab obstructione in intestinis, propter quam Bilis per ductum bilarium ad duodenum advectus in ventriculum regurgitat, obstructio est removenda, atq; ejus præprimis habenda ratio, ubi ductus biliarii ramus alter ad duodenum alter ad fundum ventriculi naturæ quodam errore tendit: Hi enim lenissimâ in inferioribus obstructione facta vomitu jejuni infestantur, & ab aliis πικρόχολοι ἄνω audiunt.

§. 14. *Cholera* Affectus acutus est ob vim expultricem nimium irritatam iteratis vomitibus atque crebra simul alvi dejectione hominem infestans; Quibusdam criticè contingit, neq; Curationem requirit, sed corpus liberat à vitiosis humoribus: Aliis verò non assuetis & imbecillis mortem brevi accelerat. Alia sicca est à Flatibus, alia humida; Illa Flatus discutientibus, hæc adstringentibus (ast non in principio adhibitis, ne materia vitiosa in corpore detenta alia excitet symptomata) & corroborantibus, Extrinsecis præprimis curanda. Quia autem non tam Alvi Fluxus, quam Vomitus Vires prosternit, adstringentibus per Os exhibitis atque aliis contra vomitum remediis utendum; Adhibito interim Clystere *ex Alth. Malv. & Chamomill. decoct.* ad compescendam acrimoniam humorum, & ut Naturæ, expulsioni vitiosorum humorum intentæ, via remaneat patula. Qui tamen & ipse alvi fluxus, si nimium Vires dejiciat, remediis ad alvi fluxus accommodatis sistendus.

§. 15. *Ulcus* abstergentia initio, & deinceps glutinantia requirit, quemadmodum §. 5. dictum est. *Vulnus* à reliquorum Vulnerum curatione nihil peculiare habet.

CAPUT VII.

§. 1. Usus Intestinorum non Ignobilis, videlicet nobiliorem & utilem nutritioni partium succum Venis Lacteis distribuere, fæcesque & inutilia debite & justo tempore excernere, Medico imponit necessitatem eò attentius eorum Affectus attendendi, ne vel defraudatum succo alimentosò totum marcescat corpus: Vel ex retentis Excrementitiis partibus (quæ non solum in Intestinis cumulantur, sed & ab aliis Partibus affluunt) tetri & Naturæ inimici vapores attollantur.

§. 2. Turbatur præcipuè hæc Intestinorum Actio in Alvi nimio fluxu, Lienteriâ, Cœliaca, Diarrhæa, Dysenteria & Fluxu hepatico.

§. 3. *Lienteria* est velox Ciborum per Intestina, eâ qua assumpti sunt, formâ, transitus, à debilitato Ventriculi Intestinorumque calore, vel ab eorundem lubricitate & lævitate ab assumptis oleosis & pinguibus, itemq; multâ pituitâ Intestinorum tunicis adhærente. Calor debilis stomachica calida & adstringentia requirit, Pituitæque copia in Intestinis generata vel ab aliqua parte eò delata evacuationem postulat.

§. 4. Uti in Lienteria & Ventriculus & Intestina officio suo non funguntur; Ita in Cœliaca alimentum ope ventriculi in cremorem conversum ulterius Intestina non præparant, neq; distribuunt, sed sub propriâ Cremoris seu Chyli specie effluere permittunt: vel ob propriam ἀτονίαν, vel ob orificia Venarum Lactearum obstructa. Huic malo ratione causarum succurrendum, & partim Intestinis robur conciliantia, partim obstructiones reserantia usurpanda.

§. 5. *In Diarrhæa* neque Cibus vel Potus immutatus, ut in Lienteria, neque Chylus vel Cremor, ut in Cœliaca, sed vel Bilis, vel Pituita, vel Melancholicus succus excernitur. In hoc Affectu, ut & in reliquis alvi fluxionibus maximoperè observandum, ut Fluxum non ante sistamus, quam natura parte aliqua humorum vitiosorum sit liberata; neque eidem nimis indulgeamus, quia omnis fluxus tam Criticus quam Symptomaticus, si excedat, vires prosternit, *& evacuationes secundum Hipp. ad extremum perducentes sint periculosæ.* Ad vires itaq; patientis & materiæ vitiosæ copiam intentis oculis respiciendum; Quæ cum major est, magis Fluxioni indulgendum, eademque moderanda potius, quam sistenda. Victus in Principio sit tenuis causæq; morbi oppositus, progressu plenior & magis nutriens.

§. 6. Cu-

§. 6. Curatio pro diversitate humoris profluvium alvi efficientis diversa initio requirit Evacuantia lenia, non Drastica; quibus antequam vires sint prostratæ subjungi debent fluxum sistentia adstringendi facultate prædita; Calidiora, ubi & constitutio Corporis, & humor profluvii causa frigidæ naturæ est; Temperata, ubi humor Calidus peccat. Inter Evacuantia Rhabarb. ob partes adstringentes, quibus simul dotatum est commendatur; idq; vel in Substantia vel Infusione, vel forma Boli, tostum ante parum, cum saccharo rosat. antiquo exhibetur ad adstringendum. In Diarrhæa calida sequentia prosunt: *Syr. Myrtin. d. Cichor. d. succ. acetos. rob. ribium, Succ. Cydon. Endiv. Aq. Plantagin. Cichor. Endiv. rosar. acetos. Pulv. è corall. rubr. margarit. Cc. hæmatit. præpar. Santal. pulv. terræ sigill. bol. armen. spec. diatrion. Santal. diarhodon Abbatis.* In Diarrhæa frigida calidiora immiscenda, ut *Spica, mastiche, Schœnanthum, calamus aromat. spec. diagalang.* Ubi potentius adstringendum, sequentem *Riverius* pulverem præscribit. ℞. *Sanguin. dracon. mastich. mumiæ, terr. sigill. lapid. hæmatit. trochisc. de Carab. an.* ℈j. *boli armeni veri* ℥iij. *F. P. de quo capiat* ℈j. *in liquore convenienti.* Ad humorum acrimoniam compescendam. Idem *Riverius Laudanum opiat. cum mastich. & terr. sigillat.* commendat. *Crollius essentiam Croci Martis à g. 8. ad 15.* in convenienti vehiculo propinatam in omni fluxione tanquam præsentissimum remedium laudat. Notatu dignum, quod *Forest. lib. 22. observat. 1.* refert, Mercatorem quendam aliquot mensibus diarrhæa & tandem dysenteriâ laborantem solo Mespilorum copiosè ingestorum usu curatum, Medico pro consilio trecentos aureos numerasse. Eorundem Mespilorum usum etiam *Ægineta* in Dysenteria proficuum esse testatur. *l. 3. c. 42.* Externè regioni Ventriculi & Intestinorum inungi possunt *ol. rosar. myrtin. absinth. nardin. menth. mastich. &c.*

§. 7. *Ubi calefacto corpore acria purgantur & Intestinum abraditur & exulceratum, cruentaq; per alvum dejiciuntur, hoc Dysenteria i. e. Intestinorum difficultas appellatur, tum gravis tum periculosus Affectus, Hippoc. lib. 3. de Vict. ration. p. m. 371.* Ita paucis nobis hujus gravissimi morbi διαγνωσιν proponit & Prognosin. Calefacto, inquit, Corpore acria purgantur, ut Caloris præsentiam innuat, qui interdum universale incendium faciens febris nomine venit, aliquandò verò minus, ut proinde Febris in Dysenteriâ ad propria & pathognomica signa referenda non sit. Acria verò purgari oportere sequentibus ostendunt; nimirum intestinorum abrasio, exulceratio, & cruenta dejectio; Qualia verò ea acria sint, quæ hæc excitare valent, locumq; causarum in hôc Affectu tenent, disquisitione indiget.

§. 8. Omnes ferè in humano corpore humores acrimoniam sibi adsciscere posse dubium non est: & hinc tùm melancholiam, tùm pituitam, tùm bilem, acrimoniam, quæ Intestina exulcerare queat induentes, hujus mali causam non immeritò quis assereret; ad id tn:, quod utplurimum contingit, attendentes in Medicina, bilem mordacem potissimum peccare statuimus, non solum Experientia aliorum, sed & authoritate *Galen. lib. 6. d. loc. affect. cap. 2.* nitentes, qui bilis mordacis initiò excretionem inter proprias Dysenteriæ notas refert. Causæ antecedentes & remotæ sunt assumpta, quæcunq; vel biliosum humorem copiosè in corpore producunt, vel quæ (uti sunt fructus quidam) facili ad corruptionem & putredinem propensione latentem in corpore dispositionem in actum deducunt; & denique, quæcunq; Intestinis infesta, eadem præternaturaliter afficere humorumq; acrium ad eadem affluxum excitare valent.

§. 9. Ab hâc humoris acrimoniâ Intestini provenit abrasio, & quidem primò in eâ parte, quæ pinguis & mucosi corporis faciem, in Sectione, dum Interiorem Intestinorum substantiã scalpello

pello

pello exploramus, præ se fert, Intestinorumq; latera lubrica reddendo aliàs ab acrimoniâ humorum defendit; In dysenteriâ verò speciem purulentæ materiæ exhibet, quæ à Pituitâ affluente admixta auctior apparet. In progressu mali non solum mucosa materia, sed & quæ eâdem incrustatur intestinorum intima tunica abscedit, & ramentorum instar excernitur. Ad extrema ubi perventum est, quæ inter utramq; intimam & extimam tunicā media est, carnosa & fibrosa substantia â maxima materiæ mordacitate eroditur, quo spectat *Hippocr. Sect. 4. Aphor. 26. Si Dysenteria laboranti velut caruncula dejiciantur, lethale.* Tres hos gradus Dysenteriæ citra rationem quidam nobis impugnare videntur.

§. 10. Intestinorum Erosionem & Exulcerationem, quæ ob continui solutionem dolorem infert, sequitur Vasorum ad eadem distributorum apertio, unde sanguinis per orificia eorundem aperta profluvium cruentaq; dejectio. Quanta namq; Venarum atq; Arteriarum per Mesenterium sparsarum, Intestinisque sanguinem advehentium & superfluum revehentium sit multitudo, cuivis Anatomiæ gnaro patere existimo, ut mirum non sit sanguinem magna satis copia excerni hoc in Affectu. Ut autem dignoscas, tenuia ne vel crassa Intestina exulceratione præcipuè laborent, num omnia, quæ excernuntur, bene sibi invicem, sint permista, exquires; Quod si affirmatum fuerit ab Ægroto vel adstantibus, tenuia potissimum Intestina sedes affecta erunt, & supernè exhibitis remediis curatio perficienda; Sin minus, crassiora præ illis laborabunt, quibus Clysteres potius convenient, quam Potiones per os exhibitæ.

§. 11. In Curatione, quemadmodum in Diarrhæâ, fluxus in initio non sistendus, ne ad alium locum motâ materiâ, alia gravia producantur symptomata, quod *Hippocr.* confirmat; *Coac. Prænot. t. 462. Intempestivè suppressa dysenteria, abscessum in costis aut visceribus aut articulis inducit.* Neq; tamen drasticis seu acrimo-

 niam

niam habentibus utendum medicamentis, cum natura à maximâ humorum mordacitate & acrimoniâ stimulata evacuandis humoribus per se sit intenta; sed solum Lenientibus absq; acrimonia ad abstergendum, nisi vires admodum sint debiles, tunc n. omissis & iis ad temperandam & mitigandam humorum mordacitatem convertenda Curatio. Non inconveniens esse existimamus in omni ferè dysenteriæ specie Ol. amygdal. dulc. cum sacchar. exhibere; Præterquam enim quod Viæ in Intestinis lubricæ maneant, neq; obstaculum Evacuationi humorum ponatur, hoc ipso simul ab acrimoniâ humorum intestina defenduntur dolor sedatur, parsq; sauciata sanatur. Post hæc locum habent ea, quæ fluxum sistunt. In quem finem eligenda sunt ea, quæ simul vim Alexipharmacam obtinent (non enim malignitatis notis caret hoc malum) Inter alia *rad. tormentill. CC. præpar. terr. sigill. bol. armen.*, *Corall. rubr. præparat. lapis bezoar.* & si sedes præcipue affecta sit in crassioribus intestinis, Clysteres abstergentes, dolorem atq; fluxum sustentes maximè utiles sunt. Nec negligenda sunt Topica, quæ maximo usui fuisse experientiâ constat; Et ultimo consolidantia & glutinantia. Horum autem omnium tibi copiam acquires *è River. lib. 5. cap. 6. Sennert. lib. 3. p. 2. Sect. 2. cap. 7. Platero Tom. 3. p. m. 727. & seqq. tum & ex aliis Authoribus.*

§. 12. *Fluxus hepaticus* à Dysenteria differt, quod initio tenuis sanguinis sanies, loturæ carnium mactatarum non absimilis excernatur absq; ramentis & sine Exulceratione Intestinorum, Unde & Is, qui in dysenteria sentitur, dolor abest. Aucto verò malo crassus humor fœcibus Vini similis dejicitur. *Galen. 6. de loc. affect. c. 2.*

§. 13. Oritur hic Fluxus à sanguine seroso, tenui & non benè cocto, orificia Venarum ob serositatem & tenuitatem facilè aperiente & penetrante; Ubi verò Evacuatione tenuis humoris orificia magis magisq; dilatantur, quod *Galen.* dicit, & crassum

aucto

aucto malo, quod antea tenui permistum erat, subsequitur. Unde tibi de Cruditate sanguinis in hoc affectu peccantis constare existimo. Si namq; coctus ritè fuisset, non facilè tenuiorum partium à crassioribus separationem passus fuisset. Producitur autem in corpore crudus sanguis vel partium sanguinis elaborationi dicatarum debilitate; vel ob ventriculi non benè chylificantis vitium, unde, cum vitia coctionis primæ non corrigantur in altera, vitiosum necesse est provenire sanguinē; vel partibus innoxiis Error in diæta commissus, hujus serosi & crudi sanguinis Parens existit. Adhæc notabis in specie & Hepar culpa non carere, dum sanguini per Venas Mesaraicas & Truncum Portæ ad Cor revehendo propter obstructionem transitum non permittit, unde dum in his Vasis sanguis diutius immoratur corrumpitur & per Intestina sibi exitum quærit ob viā superius præclusam. Hæc confirmabunt Hepatis non secundum sed præter naturā propter obstructionem calidi notæ in hepaticis manifestæ. Et hinc facilimè lis illa agitata, *An hepar calidum vel frigidum* in hoc affectu sit accusandum, componitur.

§. 13. *Prognosis.* Malum hoc non contemnendum; Via enim abhoc malo (ob Hepar malè affectum) ad Cachexiam, Hydropem atq; Tabem patet; siquidem facilè Venæ Lacteæ & Vasa Lymphatica in consensum trahuntur. Lethale signum in hoc affectu, Sputum multum cruentum, sivè intus subputridum, sive syncere biliosum fuerit, *Hippocr. Coacar. Prænotion. t. 446.* asserit. Et hoc quidem optimâ ratione; Si enim non solum sanguis in Abdominis Venis, sed & in Thoracis partibus, sit vitiosus & corruptus, ut suspicio sit omnium ferè partium sanguinis elaborationi dicatarum debilitatem adesse, atq; corpus suo prorsus defraudari alimento, mortem subsequi necesse est.

§. 14. In Curatione, quæ difficilis est, non adhibenda frigida. Neq; enim Hepatici à natura calidiora nacti viscera, ad morbos

bos inclinant calidos; ſed ſaltem per Accidens prorſus nimirum propter obſtructionem ſeu neglectam bilis ſeparationem & ad Inteſtina ablegationem, calidum habent Hepar. Sed nec exhibenda Aperientia calidiora, ne ab his quoq; calor præternaturalis auctior reddatur, & orificia Venarum magis aperiantur. Temperata igitur locum habebunt, & talia quidem, quæ hepar roborent, è Catalogo medicamentorum Hepaticorum petita. Itemq; ea, quæ reliqua quoque viſcera confortant. Externa quoq; adſtringentia in profluviis alvi frequentata locum habent, additis Hepaticis. Varia Formularum tam internarum quam externarum genera tibi exhibet *Mercatus Tom.3. lib.3. cap.14.* Specialiter hepar Lupi pulveriſatum aliis remediorum formulis internis miſcendum ab Authoribus commendatur.

§. 15. *Teneſmus* cognatus Dyſenteriæ Affectus à materiæ acrimonià Inteſtinum rectum erodente & ad aſſiduum ejiciendi conatum ſtimulante, ortum ducit. Curatio eadem eſt cum illâ, quæ in exulceratione Inteſtinorum, locum habet, quia eandem cum dyſenreriâ cauſam habet, eidemq; ſuccedere ſolet. Aliquandò à refrigeratione hic affectus oritur, & tùm *fotu è decoct. fl. verbaſc. Chamomill. c. ſemin. lin. & anethi* curatur.

§. 16. Reſtant *Iliacus & Colicus dolor*, ſive *Ileos & Colica.* Dicitur ille alio nomine χορδαψος, Latinis Volvulus, qui vehementisſimis hominem doloribus excruciat, & crebris vomitibus, quos & ſtercoris per os ejectiones ſubſequi ſolent, infeſtat. Oritur ab obſtructione, facta vel ab Inflammatione, vel à Tumore, vel fecibus induratis, vel à re quapiam alia, quæ partim obſtructionem, partim inimica Inteſtinis qualitate dolorem efficere valet vehementiſſimum, nnde cum per Inferiora ingeſtis non pateat via, Inteſtina motu periſtaltico præternaturali omnia ſurſum propellũt, atq; in miſerabilem ægrotum vitæ conjiciunt ſtatum. Ab hoc Affectu, inquit *Galenus*, vix unquam aliquis ſanus evadere potuit *6. de loc. aff. 2.*

§. 17. *Colicus dolor*, siquidem à Colo Intestino nominis rationem petas, à priori differt, quod ille tenuium hic crassorum Intestinorum sit Affectus. Veteribus autem ante Galenum, ut testatur Mercurialis, in usu fuit, & hunc & illum vocare Ileon, 5. *Variar. Lection.* 11. & *Hoffmannus Institut. lib. 3. cap.* 148. Colicam mitiorem Ileum esse dicit. Ab iisdem autem, quibus prius malum, producitur causis; hoc tamen discrimine, ut Iliacus dolor plerumque ab Inflammatione cum febre; Colicus verò sæpè à pituita vitrea absque febri (quam & Galenus dolore vexatus injecto oleo rutaceo, per alvum excrevit) deducat natales, Molestiam verò affert Pituita partim refrigerando Intestina, partim flatibus materiam præbendo, à quibus Intestinorum distentio dolorem infert. Discernes quoque hunc affectum à priori, quod in illo nihil per alvum dejiciatur, etiamsi quis acerrimo utatur Clystere; in hoc non item. A regione autem, qua dolor sentitur, nullum indicium sumi potest, utrum tenue seu crassum Intestinum sit affectum, quia Intestinum Colon teste Galeno supra allegato loco, idemque comprobante oculari in subjectis demonstratione, ab Inferioribus revertitur, atque jecur attingit, cæteraque Intestina ambitu suo velut complectitur, secus quam in aliis animalibus, in quibus Intestina tenuia utplurimum superiorem, crassiora verò Inferiorem tenent locum.

§. 18. Ab aliarum vero abdominis partium dolore Colicam distingues hac ratione. Si dolor sit in musculis abdominis, sublimior erit & minus profundus Colico, levior quoque & minus periculosus. Ubi verò Ventriculus dolet, eodem loco dolor moratur & in Ventriculi regione permanet, neque tam late se diffundit & ad renes tendit, quemadmodum Coli dolor; assumptis quoque per os dolorem lenientibus facilius sedatur. Non verò ita facile Colicus dolor à nephritico distinguitur, ita ut Medicos sæpius circa horum dignotionem deceptos testetur

Galen. 6. de loc. affect. 2. *Sed Coli vehementem dolorem (inquit) sæpenumero conspexi, Medicis illum non ad Colon sed ad renes pertinere putantibus: Veluti renum quoq; cruciatus ad Colum referre videntur.* Operæ igitur pretium est, hos Affectus dignoscendi rationem ex eodem Galeni loco hic referre. Primum est, quo affectus hi differant, Nausea & Vomitus, pituitæ præprimis, in Colicis graviores quam in Nephriticis. Secundum est loci dolentis in Colicis amplitudo, dolorisque vel vagus circuitus, vel in diversis partibus uno eodemque tempore percepta vehementia; cum in Nephriticis dolor sit stabilis jugiterque affligens. Tertium, dolor altiori, quam renes positi sunt, loco existens. Quartum discrimen est ab excretis: Nephritici enim in urinis signa calculosi affectus exhibent, purusque & dilutas ab initio reddunt urinas, sequentibus diebus aliquid asperi subsidere videtur, tandem arenulæ sequuntur. In Colicis verò doloribus nihil tale quid in urinis observatur. Quintum à juvantibus desumptum est: Clysteribus siquidem laxantibus multo magis Colicorum cruciatus quam Nephriticorum mitigantur, atque interdum Colicus dolor ejectâ simul pituitâ ilicò sedatur, ita, ut mitigans remedium fiat simul curativum; Nephritici verò lapide exeunte cum urina dolore liberantur.

§. 19. Colicus dolor Iliaco majorem curationis spem & ægro & Medico excitat. Iliacus nempè exitialis est teste Galeno; & si stranguria superveniat, intra septem dies perimit, nisi febre accedente copiosior urina profluxerit, Hippocrat. 6. Aphorism. 44, & hinc sæpius Intentionem Medici antevertit. Colicus verò, quanquam & is vires naturæ prosternere valeat, ad salutem tamen plerumq; terminatur.

§. 20. Remedia partim dolorem ipsum respiciunt, qui si nimium urgeat, mox ab initio anodyna requirit: Partim causam utriusque affectus. Iliacus cum plerumque ab Inflamma-

tione

rione, uti dictum, ortum ducat, iis quæ Inflammationi aliàs conveniunt, curandus: Colicus verò à pituita frigida, remediis partim ejusdem frigiditatem temperantibus, partim eam è corpore exturbantibus tollendus. Unde aliquibus Colica sublata ol. Zedoar. s. arant. g. IV. propinatis, aliis verò solo Clystere, ut Galeno contigit. Ubi verò malum gravius levioribus pharmacis non cedit, ad alia fortiora procedendum, de quibus consulendi Authores Mercatus lib. 3. cap. XV. Riverius lib. 5. cap. 1. & alii.

Coronidis loco Quærere libet utrum Iliacus & Colicus dolor subjecto differant?

Secundum plurimorum opinionem, quam & nos ratam §. 16. & 17. habemus subjecto, causis atq; signis diagnosticis differre hos affectus constat. Dubitare tamen quis posset, annon idem inseparabile Ilei signum, omnimoda scil. alvi inferiora versus constipatio, atq; hinc motu peristaltico stercoris per superiora rejectio, etiã affectis crassioribus Intestinis adesse queat? Quid enim moratur, quo minus seu ab Inflammatione seu ab alia quapiam re omnimodam obstructionem efficere apta, via in crassioribus intercipiatur; siquidem substantiæ familiaritate Intestina tam crassa quam Tenuina gaudent, atq; hinc iisdem obnoxia malis. Neq; quis objicere poterit è crassis ad tenuia nihil ascendere posse, propter valvulam coli, ascensum excrementorum ab Inferioribus Intestinorum partibus prohiben-

bentem: hoc enim in ſtatu ſaltem Inteſtinorum naturali obtinet, cum in præternaturali eadē valvula multis labefactari queat modis, & non ſolum liquidis, ſed & durioribus corporibus tranſitum permittat, quod Exempla à Sennerto adducta lib. 3. part. 2. Sect 2. de Sympt. Inteſtin. cap. 1. commonſtrant. Quibus accedit, quod veteres utriq; affectui idem nomē impoſuerint, Ileum utrumq; vocantes quaſi ſaltem majoris & minoris ratione differrent, & colica nihil aliud, quam Ileos mitior eſſet. Hæc non-neminem de ſtatione dimovere poſſent, non infirmo namq; nituntur talo; attamen & alteri parti firmum ſatis atq; tutum adverſus tela hæc paratum præſidium. Quamvis n. non negemus Inteſtina craſſiora eodem, quo tenuia, modo, affici poſſe, rarius tamen id fit. Quia 1. facilius omnimodam obſtructione patiuntur Inteſtina tenuia craſſioribus, quæ majorē habent cavitatem. 2. Neq; tunicam craſſa adeò tenuem habent, & hinc non tam facile acuto tentantur dolore. 3. Propter valvulam coli majus excremētis aſcendētibus ponitur obſtaculum, atq; facilius excrementa duriora ab injectis Clyſterib9 emolliuntur. 4. propter præſentiam ductus bilarii in eadem Inflamationi magis obnoxia, & quæ ſunt alia, quæ faciliorem reddere conciliationem cum adverſariis poſſunt,

CAP.

CAPUT VII.

DISPUTAT. VII. Christianus Nitzschke/ Forstâ Lusatg Respondens.

§. 1. Μεσεντέριον *Hippocrati de Ossium naturâ*, & Μεσέντερον *Aristot. 4. de part, anim. c. 4.* quasi μέσον τῶν ἐντέρων medium intestinorum, non æquè commodam apud Latinos obtinere denominationem, & hinc Latinorum civitate donandum, *Vesal. libr. de human. corp. fabric. 5. c. 6.* innuit: æqui vocum enim vocabulum lactes est & in varia significatione apud Authores occurrit. Cum tamen lactes frequentata Latinis vox sit, & ab Interprete *Aristotelis allegato loco itemq́ Galeni in 6. Hippocr. de morb. vulgar. comment.* 3. & alibi usurpata non incommode eadem uti licebit, expirante à substratà materiâ æquivocatione.

§. 2. Sunt lactes pars membranosa, intestinis connexa, ortumque ducunt ad primam & tertiam lumborum vertebram; figuræ sunt ferè circularis, & triplici vasorum genere instruuntur; venis, à vena portæ; arteriis, ab arteria magna; & vasis lacteis: hæc vasa omnia infinitis ferè ramulis per mesenterium sparsis intra duplicem mesenterij membranam feruntur, ab eaque robur suum mutuantur, ne in validiori corporis motu rumpantur. Glandulæ quæ plures in mesenterio reperiuntur, quarumque maxima, quæ in medio mesenterii est, & Pancreas Asellii appellatur, itidem tutius iter vasis efficere creduntur. Nervi quoque huc tendunt duo à ramis sexti nervorum cerebri paris, costarum radicibus utrinque exporrectis, pronati, qui & ipsi in varias scinduntur propagines.

§. 3. Usum mesenterii *Aristot. 4. de part. anim. c. 4.* hunc esse vult; ut per venas tanquam radices in ventriculo & intestinis præparatum hauriat alimentum, idemque ad ulteriorem elaborationem ad aliam partem transferat. Ἐπεὶ γὰρ ἀναγκαῖον, inquit, τὰ ζῶα τροφὴν λαμβάνειν θύραθεν καὶ πάλιν ἐκ ταύτης γίνεσθαι τὴν ἐσχάτην τροφὴν ἐξ ἧς ἤδη διαδίδοται εἰς τὰ μόρια (τοῦτο δὲ τοῖς μὲν ἀναίμοις ἀνώνυμον

τοῖς δὲ ἐναίμοις αἷμα καλεῖται) δεῖ τι εἶναι δι᾽ οὗ εἰς τὰς φλέβας ἐκ τῆς κοιλίας, οἷον διὰ ῥιζῶν πορεύσεται ἡ τροφὴ, Τὰ μὲν οὖν φυτὰ τὰς ῥίζας ἔχει εἰς τὴν γῆν, ἐκεῖθεν γὰρ λαμβάνει τὴν τροφὴν τοῖς δε ζώοις ἡ κοιλία, καὶ ἡ τῶν ἐντέρων δύναμις ἀντὶ γῆς ἐστιν, ἐξ ἧς δεῖ λαμβάνειν τὴν τροφὴν; διόπερ ἡ τοῦ μεσεντερίου φύσις ἐστιν, οἷον ῥίζας ἔχουσα τὰς δι᾽ αὐτῆς φλέβας. i. e. *Cum enim necesse sit, ut animalia cibum extrinsecus capiant, rursusque ex hoc alimentum fiat, quod in omnes corporis partes digeratur (quod in exangvibus nomine vacat, in sangvineis sangvis appellatur) ideo aliquid adesse oportet, quo, tanquam radice, cibus de ventre ad venas deferatur. Itaq; ut stirpes radicibus terræ innixæ cibum inde hauriunt sic animalibus venter & intestinorum vires pro terrâ sunt, â quibus capiant alimentum; quam ob rem lactes sunt, venas sibi inditas habentes quasi radices.*

§. 4. Ita quidem optimè Philosophus definit finem & substantiam partis hujus, nisi circa vasa per quæ alimentum elaborandum officinæ sangvinis, cordi scilicet, debet offerri, difficultas maxima superesset. τὰς φλέβας quidem instar ῥιζῶν esse vult; at quid nomine φλεβῶν intelligendum hoc loco dubium maximè; communi siquidem hoc nomine dum de vasis tâm arteriosis, quàm venosis res est, Veteres uti in confesso est. Galenici exactius rem definire coacti venas huic muneri dicatas esse volunt eas, quæ magis magisque collectæ in truncum Venæ portæ abeunt. Verùm cum hæc opinio tùm rationi, tum etiam hypothesibus Philosophi de sangvinis officina atque partium nutritione sit contraria, in eâdem cum plerisque Galenicis non acquiescimus.

§. 5. Rationi adversatur hæc opinio, dum Galenici per eadem vasa & Chyli ἀνάδοσιν ad hepar & sangvinis διάδοσιν ad intestina uno eodemque tempore fieri statuunt. Neque quicquam proficiunt alii, dum factâ jam chyli in hepate distributione sanguinem per venæ portæ ramos ad intestina descendere dicunt. Ut enim omnis chyli ad hepar absolvatur distributio, certum est eo

tempore venas mesenterii exinaniri; at, si hoc verum est, unde intestinis tantum attrahendi robur contigit? ut per media spatia inania ab hepate sangvinem pro nutritione attrahere valeant; vel attrahere conentur, cum sangvinem ex arteriis viâ multò propinquiori haurire queant? Sed nec tale in his venis vacuum observatum, neque vestigia ascendentis chyli apparuêre.

§. 6. Hypothesibus quoque Aristotelis contrariatur, dum Galenici sangvinis officinam hepar esse statuunt, & ea propter chylum quoque ad hepar tanquàm sangvificationis organum, ut ex eo ultimum elaboretur partium alimentum, derivari volunt. *Aristoteles* enim uti Fontem & Originem sangvinis Cor esse asserit *libr. 3. de part. anim. c. 4.* Ita omne alimentum, ἔχατον puta, à corde ad partes deduci, & sangvinis, non chyli, venas vult esse conceptacula *citato libro c. 5. & 2. de gener. anim. c. 4.*

§. 7. Reliqvum itaque est, aliud adesse vasorum genus δι' ὧ εἰς τὰς φλέβας ἐκ τῆς κοιλίας οἷον διὰ ῥιζῶν πορεύεσθαι ἡ τροφή; per quod in venas è ventriculo tanquam per radices perveniat alimentum. Sed neque aliud esse poterit, quàm illud vasorum genus, quod aliis venarum chyliferarum vel lactearum nomine venit. De nomine autem non erimus solliciti; si quis enim eadem vasa arteriarum nomine donare velit, quia respectu lymphaticorum vasorum robustioribus paulo membranis instructa sunt, cũ eo, modo de re constet, non litigabimus. Mentionem facit horũ vasorum subarteriarum titulo *Erasistratus apud Gal. lib. an sangvis &c. c. 5.* easque in hædis lacte refertas in adultis verò alterius rei plenas observavit. Ignorasse enim veteres Anatomicos, insigniores præcipuê, horum vasorum existentiam ἐκ τῶν ἀδυνάτων numero esse existimo. Qui enim Erasistratum Theophrasto Coætaneum, atque Herophilum, ut hos solùm nominem, latuisse potuerunt hæc vasa; quippe hi non contenti in animalibus brutis vivas instituere sectiones, easdem in hominibus capite plecten-

dis aggressi, eorum respirantium adhuc calida viscera contemplari, ut curiositati suæ satisfacerent, non destitêre. Et quî Galenum eadem fugere poterant, quem ultra sexcentas vivas sectiones in animalibus administrasse constat: diversis dubio procul horis â pastu, quò nutritionis opus perspectum haberet. Sed & ex ipsius duplici venarũ genere in Mesenterio colligere licet, eundem cum Herophilo alias venas ad hepar chylum vehere, alias sangvinem pro nutritione intestinorum contrario priori motu deferre voluisse, ita tamen, ut per illas aliquando facta chyli ἀναδόσει atque peracta in hepate elaboratione, sangvinis etiam ad intestina per eadem vasa chylifera fiat διάδοσις, idque in longioribus solùm inediis. Non alium, quam hunc, loci istius, qui habetur 4. *de usu part, c. 19.* sensum esse, recte asserit *Asellius tractatu de lact. ven. c. 3.*

§. 8. Quod verò Galenus venarum chyliferarum verum progressum ignoraverit, easque in unum venæ portæ truncum colligi existimaverit, id eidem pro meritis in rem medicam maximis ex æquo condonandum: quippe postquam ab Asellio vasa hæc luci reddita sunt, eorum tamen progressus & in unum truncũ collectio tot annos usque ad detecta Pecqveti experimenta oculatissimos Anatomicos latere potuit. Imò post ductum Thoracicum â Pecqveto detectum, Clarissimus Bartholinus venarum lactearum in hepar insertionem asserere & ad αὐτοψίαν provocare non dubitavit. Walæus item venarum lactearum quasdam in ipsam Portæ venam, alias quandoque in venam cavam propè emulgentes desinere voluit, teste eodem Bartholino *c. 15.* quam tamen opinionem tractatu de vasis lymphaticis refellit, & pro vindiciis hepatis antea exaratis & acriter propugnatis, justa deinceps exeqviarum celebrat.

§. 9. Hæc dicta iis sunto, quicunque hujus seculi peritiam propter inventa qvædam nova nimium extollunt, & antiquitati

multis

multis modis anteponendam censent; hoc ipso apud parum cautos magno studiorum detrimento lectionem Antiquorum exosam reddentes, cum potius Antiquos ob maxima in rem literariã merita summa veneratione prosequi deberent. Manet interim merita laus eos quoq; recentiores, qvi Antiquorum vestigiis insistentes ulteriori indagini operam navare voluerunt, ut vel novis inventis Antiqvorum sapientiam augerent, (quædam enim posteris quoque investiganda reliqvere:) vel majorem lucem afferrent iis, quæ à majoribus rectè quidem, at obscurè dicta sunt. Quo nomine etiam *Asellius, Van Horne, Pecqvetus*, Bartholinus & alii grates merentur: siqvidem non parum lucis Aristotelis de sangvificationis opere placitis, eorum novis inventis accessit.

§. 10. Sed parumper digressi redeamus in viam. Certum est, non solùm ratione id dictitante, ut in prioribus dictum est, sed & ipsa approbante αὐτοψία adesse in mesenterio vasorum, ab arteriis & venæ portæ propaginibus distinctorum, & qvaqva versum ab intestinis per mesenterium sparsorum, innumeram multitudinẽ; quæ vasa ob lacteum, quem vehunt succum lactea vocata, proprium qvem Philosophus proponit Mesenterii absolvunt finem, & instar τῶν ῥιζῶν se habent. Tenduntur autem vasa hæc lactea à peripheriâ mesenterii ad glandulam ejusdem mâjorem, Pancreas Asellii vocatam, ibidemq; collecta lacteum suum laticem in subjectum glandulæ receptaculum, quod in brutis membranosum, in homine verò glandulosum, teste Bartholino est, transfundũt. Id ita se habere, facto experimento deprehendes. Presso namque mesenterio chyloque versus glandulam confluente, lactei canaliculi chylum ulterius in receptaculum devehentes, tibi in conspectum venient. Atque si ulterius chyli ductum investigaveris, eundem non in portæ truncum, vel hepar ipsum, sed per ductum thoracicum ad venam axillarem, & hinc in cordis dextrum ventriculum ferri videbis, missis simul in itinere ramulis ad venam

ſine pari, quæ indito in receptaculum tubulo, ſine difficultate aërem inflatum admittit, ut & omnis humor ex ea verſus cor migret, certo indicio primas in opere ſangvificationis partes tenere Cor. Verum de his, cum ad reliquarum partium διαχειρισμὴν perventum fuerit, agemus. In præſenti tantum de venis lacteis atque primario meſenterii fine ſeu actione dixiſſe ſufficiat.

§. 11. Præter hunc primarium uſum alios etiam ſecundarios obtinent lactes; videlicet colligare inteſtina, eademque dorſo annectere ut commodior & firmior exindè iis contingat ſitus; per arterias itidem alimentum advehere, & per venas ſuperfluum revehere.

CAPUT VIII.

§. 1. Turbant hanc Meſenterij actionem atque finem ea omnia, quæ chyli per vaſa lactea διαδόσει, tum ſangvinis per arterias & venas motui remoram injiciunt. Talia præprimis ſunt humores craſſi, frigidi & tartarei qui obſtructionem; itemque calidi cum ſangvine ſimul copioſè affluente, qui inflammationem, & materiâ ad ſuppurationem deductâ abſceſſum efficiunt. Tumorem quoque patiuntur facillimè partes glanduloſæ ob carnem molliorem humorem facilius imbibentes; unde vaſorum compreſſio, meatuumque obſtructio, atque inde plurima alia mala; melancholia, diarrhæa, dyſenteria, cachexia, atrophia, langvor, lentæ errantesque febres, qvorum omnium cauſas in meſenterii locis plerumque ſe animadvertiſſe teſtatur *Fernelius l. 6. de part. morb. & ſymptom. c. 7.*

§. 2. Si igitur æger malè habeat venterque tumeat, neq; indicia manifeſta alterius cujusdam partis affectæ adſint, tactu explorabis, utrum preſſæ ſub cute muſculoſæ abdominis partes dolorem inferant; quod ſi fiat, muſculos inflammatione atque tumore affici cognoſces; ſin minus profundiori ſede malum morari,

ri, atque mesenterium affectum esse statues. Tumorem â causa calida esse deprehendes, si dolor aliquis levior adsit, (nunquam n. vehementer dolet mesenterium) cum febriculâ quâdam: sin verò dolor planè nullus sine febris calorisque præsentia ægrum infestet, frigidum humorem peccare colliges.

§. 3. Calido humore, qui inflammationis autor esse solet, peccante, si copia sangvinis adsit, V. S. institues, refrigerantia temperatè propinabis, materiaque ad suppurationem tendente, purgantia leniora exhibebis, vel Clysteres etiam injici curabis; post hæc abstergentia locum habent. Frigido tartareo & crasso humori aperientia & attenuantia calidiora paulo, præprimis ejusmodi, quæ ê tartaro, Vitriolo & aliis mineralibus parantur, de obstruentia conveniunt.

§. 4. Uberem medicamentorum messem tibi ex ante citatis Authoribus promittes, neque enim nostrum est ea exscribere, atque hic cumulare, sed sparsim saltem unum vel alterum, pro ut ê re esse videtur medicamentum inserere; si quidem non absolutum medicinæ practicæ opus, sed introductionem saltem in artem nostram sacratissimam ejusque præstantiores Authores & Professores tâm veteres quàm recentiores molimur. Si vero hoc alicui Siloni, subdolæ irrisioni nunquam non vacanti, displicere intellexerimus, sufficiet nobis nos Bonis, itemque iis placere, qui recto ad Medicinæ penetralia tramite duci gaudent, quorumq; partim jam ante ab aliis, partim â nobis non infelici successu formati in medicina sunt gressus.

CAPUT IX.

§. 1. Pancreas quasi totum carnosum, vel verius glandulosum corpus, posteriori ventriculi parti & duodeno substernitur, & ad hepatis lienisque regiones extenditur. Vasis instructum

est

est venosis à ramo nimirum splenico; arteriosis, ab arteria cœliaca. Nervulos quoque à sexto nervorum pari habet. Accedit his ductus Virsungianus à Virsungo Inventore sic dictus; & vasa lymphatica ab hepate secundum latera venæ portæ ad pancreas tendentia.

§. 2. Ductus ille Virsungianus, (qui, ut vult Veslingius venæ structura & speciè curiosis ante imposuit oculis) per medium fertur Pancreatis parenchyma, & ad extremam ejus superficiem ramulos mittit; in dextra parte, qua in aliis subjectis in intestinũ jejunum duobus transversis digitis ab insertione ductus biliaris implantatur, in aliis verò in meatum bilarium inhiat, latior & amplior est: versus sinistrum verò, quà ad lienem tendit, gracilescit. Ubi à ductu biliari separatim intestinis inseritur, inter binas intestinorum tunicas delatus, in intestinum aperitur, & eo loco eminentiâ quadam notatur; bilis affluxum facilè admittit, ubi meatui biliari inhiat, & hinc bile quoque stylum immissum aliquando tingit.

§. 3. Vasa lymphatica sunt Ductus illi, qui ab *Higkmoro Anatom. lib 1. part. 2. c. 7.* egregiè delineati, & ab Autore pro venis lacteis habiti sunt, humorem tamen â chylo diversum, instar aquæ lympidum vehûnt, ita ut nunquam lacte turgidas has venas videre alicui contigerit. Motus humoris in iisdem non quemadmodum Asellius & alii existimarunt, ad hepar, sed ab Hepate est.

§. 4. Usum Pancreatis *Galen. 5. de usu part. c. 2.* esse dicit, fulcire vasa, quæ ibidem distribuuntur; munimento siquidem eo loco præsertim opus est, ubi vasa scinduntur in minores ramulos, quod, cum hoc in loco fiat, numerosique adsint ramuli, hac intentione, ne nimirum læderentur, naturam hanc partem construxisse. Hanc opinionem addendo plures quosdam usus, ut sit videlicet instar pulvinaris subjecti ventriculo; ejusdem coctionem

juvet,

juvet, & ut vult Riolanus, lienis affecti vicem suppleat, plures amplexi; Verum cum Galenus usum afferat aliis quoque glandulosis partibus communem, proprius à nobis investigandus est, quem partis constitutio vasorumque in ea conditio suppeditabunt.

§. 5. *Veslingius & Higkmorus* non incelebres Anatomici chylum in pancreate depurari volunt, ut defœcatior redditus hepar ingrediatur. Verum decepti in eo, quod chylum per venas lacteas in pancreas tendere existimarint, experientia Anatomica invento jam ductu thoracico eos refutante. Secundò in hoc quoque lapsi, dum vasa lymphatica & contenti humoris specie & usu à lacteis venis differentia, pro iisdem habuêre: quod tamen in tanta rei obscuritate his Viris vitio vertendum non est.

§. 6. Nos quemadmodum glandulæ capitis salivares, itemque mammillarum & aliæ, peculiarem naturæque utilem præparant humorem, ita & glandulosum pancreatis corpus præparare dicimus peculiarem humorem, qui à ramis ductus Wirsungiani collectus, ad intestina mittitur, in certum & à naturâ destinatum finem. Duo igitur determinanda veniunt, qualitas humoris, & ex eâ fluens actio, sive finis.

§. 7. In qualitate humoris determinanda primas partes obtinet experientia, quæ humorem ad intestina ablegandum in ductu proprio contentum non sangvineum vel biliosum, sed aqueum, quãdoq; acidũ esse testatur, originem suam in humorẽ, qui vasis lymphaticis inest, referentem. Neque enim frustraneo naturæ instituto lymphæ rivulos decurrere ad pancreas existimamus, aut inconvenientem illum humoris per nervos affluxum approbamus ubi viæ plures magis manifestæ dantur. Adsunt namque vasa arteriosa: ê quibus id, quod naturæ proficuum videtur ad contemperandum succum Pancreaticum assumi haud incommodè poterit.

§. 8. Ex his, qualitate nimirum humoris & conditione loci, ad quem humor pancreatis fertur, patet non aliam esse actionem Pancreatis, quam præparati & ablegati humoris cum contrarii biliosi in intestinis concursu, eam contrariarum excitare qualitatum pugnam, quæ in defœcando vino, Cerevisiâ, aliisque arte mixtis liquoribus cernitur, ut crassiorum fœcum chylo è ventriculo exeunti permistarum fiat separatio atque deturbatio; sicq; purior chyli pars per vasa mesenterii lactea ductumque thoracicum cordi offeratur.

§. 9. Obstructione potissimum hæc pars, scirrho, aliisque affectibus lieni familiaribus laborare Authores communiter asserunt, & hinc iisdem quoque quibus lien curatur, medicamentis utendum esse volunt, aperientibus scilicet splenicis, obstructionem reserantibus, ut & emplastris, quæ alias lieni conveniunt, dorso è regione Pancreatis applicatis. Sequuntur partem hanc affectam plura symptomata, ut corporis absumptio, quia chylus in intestinis ob defectum succi pancreatici ritè depurari nequit; difficilis respiratio, propter pressum tumore Diaphragma; arteriæ in Dorso percepta pulsatio, propter arteriæ Cœliacæ à tumore pancreatis factam compressionem; ponderis item circa regionem ventriculi sensus, dum stant erecti vel ambulant.

CAPUT. X.

§. 1. Qui Hepar ἀπὸ τῆς ἠπυνίας ab inopia, quod partium succurrat inopiæ, derivant, non solùm contra naturam primitivorum agunt; sed & Etymologiam afferunt veritati minus congruam, ob denegatum hodiè nutritionis & sangvificationis hepati munus.

§. 2. Situm est hepar sub diaphragmate in dextro hypochondrio eorum præcipuè animalium, quæ lienem habent; in

aliis

aliis verò medium tenet locum. Dividitur in partem simam sive interiorem, è qua Vena Portæ reliquis abdominis partibus ramulis suis prospiciens egreditur; & convexam sive exteriorem, quam vena Cava transit, variis, uti & vena Portæ, propaginibus ipsum hepatis parenchyma subiens. Adsunt præterea in sima parte rami ab arteria Cœliaca; Vesicula fellis; porus bilarius, cysticus & alter hepaticus vocatus. Connectitur abdomini hepar per venam Umbilicalem, quę in adultis in ligamentum abit; diaphragmati in dextra parte ligamento lato, quod suspensorium hepatis dicitur: In sinistra verò parte per ligamentum aliud validum satis & teres. Parenchyma hepatis in sanis rubet, in Ægris pallidum est, vel alterius coloris, in homine integrum, in aliis animalibus in lobos scissum. Tunica investitur tenui, ad quam duo à sexto pari feruntur nervuli, quorum alter est ab eo ramo, qui orificio stomachi sinistro implantatur: alter ab eo, qui costis exporrigitur. Tantum de historia hujus partis & Fabrica.

§. 3. Nobilem usum eumque duplicem *Plato* huic parti assignat *lib. 5. de Naturâ*. Primus est: ut in ea cogitationum ex mente descendens potentia velut in speculo figuras suscipiente recipiatur, ad refrænandum illam vim animæ, quæ esculenta & potulenta cupit & velut agreste animal rationem non exaudit, eidemque obtemperat: in hunc finem hepati concessam esse dicit amaram substantiam. Secundus est: ut in hac parte sit divinationis & vaticiniorum sedes, cujus gratia dulcem obtinuit substantiam. Ob hanc causam in Extispiciis sine dubio primum locum meruit hepar. Neque infimo vel ignobili loco jecur (quod quasi juxta Cor & proximum à corde viscus Grammatici appellari dicunt:) *Aristoteles* habet; Conjungit namque illud cum corde utriusque simul indigitans & necessitatem & finem lib. 3. de part. c. 7. his verbis, *καρδίαν μὲν οὖν καὶ ἧπαρ ἅπασιν ἀναγκαῖα τοῖς ζώοις. ἡ μὲν διὰ τὴν τῆς θερμότητος ἀρχὴν (δεῖ γὰρ εἶναι τινα οἷον ἑστίαν, ἐν ᾗ κείσεται τῆς φύσεως τὸ*

 ζω-

ζωπυρεῦν καὶ τοῦτο ἐν φυλακτῷ ὥσπερ ἀκρόπολις ὄσα, τοῦ σώματος) τὸ δ' ἧπαρ τῆς πήψεως χάριν. i. e. *Cor quidem & hepar omnibus animalibus necessaria; illud propter caloris originem (oportet enim velut focum quendam esse, in quo ignis naturæ primordia contineantur, eundemq; tutum esse, velut arcem totius corporis necesse est) Hepar vero coctionis gratia.*

§. 4. Clarius Platone prolixiusque Philosopho hepatis usum docet *Galen. l. 4. de usu part. c. 3.* His verbis; *Ipsum autem hepar, postquàm id nutrimentum acceperit à famulis jam præparatum, & veluti rudem quandam delineationem obscuramq; sangvinis speciem referens, inducit ei postremum ornatum ad sangvinis exacti generationem.* Declarat hanc actionem hepatis exemplo tritici & vini. Ejusdem c. 12. disquirit simul, quænam pars hepatis sangvinē generet, rejectisque venis, nervis, arteriis, tunicâ, poris, vesiculâ fellis; carni hepatis, sive parenchymati id muneris tribuit. *Caro,* inquit, *hepatis, quæ est proprium ipsius corpus, primum sangvificationis est organon, & venarum principium.*

§. 5. Sangvificationem hepatis munus esse à plerisque Medicorum post tempora Galeni assertum fuit. Sic *Vesalius* iisdem *Galeni* citatis antea utitur verbis: Idemque statuunt, *Bauhinus Fallopius, Riolanus, Spigelius & Fortunatus Plempius,* qui *lib. 2. de fundam. Medic.* nullam de sangvificatione hepatis in scholis Medicis dubitationem esse, ait: saltem, cuinam particulæ iecoris ea sit adscribenda actio, miras inter Medicos esse turbas. Hanc tamen litem dirimere contendit venas lacteas, quæ cum in Parenchyma hepatis desinant, Galeni opinionem obtinere demonstrant.

§. 6. Contraria tamen fuit Galenicis Peripateticorum schola quæ τοῦ αἵματος ἀρχὴν, πηγὴν καὶ ὑποδοχὴν πρώτην τὴν καρδίαν esse dicit, secundum *Philosophum 3. de part. anim. c. 4.* Hinc & *Hoffmannus Comment in Gal.* citatum locum; *revera* ait, *hepar non est primum agens, sed cor: & Instit. l. 2. c. 24. Conficit quidem,* dicit, *hepar*

omnem sangvinem qui in corpore est, sed is nondum est ille, qui nutrire possit, nisi enim pars ejus multo maxima ad cor transferatur, ibidemq́ ultimam perfectionem adipiscatur, & tandem in arteriis per totum corpus diffusa misceatur sangvini, venoso dicto; nulla fit nutritio. Ita receptæ *Galeni* de sangvificatione hepatis opinioni, neque prorsus contiarius esse, neque castra Peripateticorum deserere voluit *Hoffmannus.*

§. 7. Ut calculum addamus nostrum, relicto à Platone hepati assignato usu, quia partim obscurus, partim hujus loci non est, opinionem Galeni & Asseclarum ejus destructum imus duplici ratione utraque cogente. Namque primò chylus ad hepar ut vult *Galenus*, non defertur; vasa siquidem lactea per mesenterium sparsa in receptaculum pancreati Asellii subjacens omnem suum liquorem effundunt, è quo immediatè in ductum thoracicum, ut ocularis docet inspectio, materia chyli tendit; nullis omninò ductibus, qui chylum ad hepar vehunt, vel per microscopium apparentibus. Quid de vasis lymphaticis juxta hepar sentiendum sit, dictum est præcedenti capite. Secundò, Nulla dantur vasa per qvæ chylus in sangvinem mutatus partibus distribui qveat; Vena siquidem Portæ, & ramus arteriæ Cœliacæ sangvinem in hepar, non ex hepate ad partes nutriendas deferunt; truncus verò cavæ ex hepate ascendens sangvinem suum non partibus distribuit, sed in dextrum cordis ventriculum infert; quod abundè circulatio sangvinis oculari itidem demonstratione firmata comprobat. Cum itaque neque chylus ad hepar tendat, neque commoda ejusdem in alimentum elaborati fieri queat distributio; manifestum maximè, hepar non esse primum sangvificationis organon, quod toties profitetur Philosophus suffragrantibus eidem novis Anatomicorum experimentis.

§. 8. Neque tamen omne in sangvinis elaboratione mu-

nus hepati denegandum, vel sola sangvinis vitia in Cachexia, hydrope, Ictero & aliis affectibus probant: Sed & id volunt, verba Philosophi, dum allegato loco τῆς πέψεως χάριν, sive coctionis gratia hepar necessarium esse, & paulo ante, βοηθεῖν πρὸς τὴν πέψιν τῆς τροφῆς sive sucurrere & subsidiariam operam sustinere in coquendo alimento, dicit. Confert igitur aliquid, sive succurrit in coquendo hepar; ita tamen, ut primus locus in sangvificatione relinquatur cordi. Quâ ratione autem conferat aliquid, id exindè patebit, si tùm materiam coquendam, tùm ea, quæ in coctione hâc separantur excrementa, consideremus.

§. 9. Materia alia esse nequit, quàm sangvis per ramos Venæ portæ refluus, qui partibus alimentosis magisque elaboratis in membrorum nutritione absumptis, relictis crudioribus, hepar ingreditur, ibidemque à calore ejusdem reiteratam sustinet coctionem, quò elaboratior cordi offeratur, idque aliqua oneris parte sublevetur. Cum verò in sangvinis, ut purior reddatur coctione, utile ab inutili separari necessum sit; idem in hepatis coctione non potuit non evenire; Estque illud quod secernitur excrementitium duplex, calidum alterum & biliosum, alterum frigidum & Aquosum: illud partim in vesicula fellis colligitur, partim per porum bilarium ad intestina ducitur: hoc per vasa lymphatica ad Pancreas ablegatur: atque ita hepar sangvinem depurando, & ab excrementitiis partibus liberando, revera cordi βοηθεῖ πρὸς τὴν πέψιν τῆς τροφῆς sive succurrit ad coctionem alimenti. Ventriculo præterea etiam suppetias fert hepar, dum eum amplectendo calore suo fovet ejusdemque actionem promovet; unde & ventriculi & hepatis consensus.

CAPUT XI.

§. 1. Usu suo non ritè defungitur hepar, primò, Ubi tanquam pars similaris intemperie, præcipuè frigida laborat: Unde ejus im-

imbecilletas, cui ratione causarum remediis alterantibus contrariis & corroborantibus appropriatis, ut sunt hepata animalium, succurritur. Secundò Ubi tanquam pars Organica debitam meatuum præcipuè non servat constitutionem: undè plurima mala; Scirrhus, Inflammatio, Cachexia, Anasarca, Ascites, Tympanites & Icterus; De quibus in præsenti agendum, & quidem, quoad fieri potest, paucissimis.

§. 2. Scirrhus sive Tumor durus, frigidus, sine dolore, generatur, ubi humores crassi & lenti cum sangvine ad hepar derivati meatuum lateribus adhærentes primò obstructionem, & postmodum aucti, tumorem efficiunt, evaporante tenuiore parte humoris & terrestriori relicta. Curatur deobstruentibus inter quæ Tartarus Vitriolatus laudatur; itemque attenuantibus & incidentibus: ut & externè applicatis emplastris emollientibus, quibus succedere debent resolventia. Quibus tamen sœpius parùm promovemus, cum tumores scirrhosi admodum sint pertinaces.

Emplastrum Diachyl. Vig. c. ♀ 4drupl.

§. 3. Inflammatio sive Tumor à causa calida oritur, quando sangvis per Portæ Venam invectus in poris parenchymatis hæret, neque à ramis cavæ in debita quantitate recipitur & evehitur, sed subsistere cogitur, unde putredinem concipit, à qua calor præternaturalis cordi communicatus efficit Febrim continuam, vapores verò acres & calidi ad pulmonem delati tussis aridæ causa sunt. Dolor etiam adest ob calorem sensum partis alias obtusum, aliquo modo acuentem, qui vehemens evadit, si pleura costas notas succingens simul inflammetur. Dividitur inflammatio, ratione causæ, in exquisitam, quæ à sangvine sincero est, & notã quæ alios humores (puta biliosum vel pituitosum, vel etiam melancholicum) ad mixtos habet. Incurabilis ferè est, nisi symptomata ante decimum quartum diem remittant: alias enim materia

teria fixam sibi sedem in hepate figens, vel ad suppurationem, à quâ abscessus & ulcus sordidum, vel ad indurationem tendit, & hinc de die in diem naturæ vires magis prosternuntur. Perutile est moxâ mali hujus initio venam secare, ut viæ liberatæ aliqua sangvinis parte fiant magis patulæ; reliqua ut in aliarum partium inflammationibus peraguntur.

§. 4. Cachexia sive vitiosus corporis habitus, quo cutis & musculi in tumorem mollem attolluntur colore simul vivido in pallidum, citrinum vel virescentem mutato: originem ducit, partim ab atonia hepatis in coctione deficientis, partim ab aliqua lymphaticorum obstructione, quâ aqua ad alias partes non ablegatur, sed sangvini permista, ubi ad partes pervenit, vitiosæ nutritionis causa est: dejiciunt autem tonum hepatis largior potus, præprimis aqnæ frigidæ, & ex nonnaturalium genere ea omnia, quæcunque ad frigidi & aquosi humoris generationem, occasionem præbent. Idem efficiunt morbi diuturni & varia symptomata hepati vim inferentes. Nec postremas partes ducit lien plurimum serosi & crudi humoris, cui coquendo & separando hepar non sufficit, per ramum splenicum transmittens. Curatur in principiò nō adeo difficulter, nisi vires ab aliis morbis sint prostratæ. Indicationes à loco affecto, causa & consequentibus, præmissa universali curatione, hepatis tonum reducere, obstructionem reserare & partes à serosâ hnmiditate liberare svadet. Priora dno perficiuntur hepaticis paulò calidioribus aperiendi vim habentibus. Postremum partim diureticis, partim sudoriferis; Huic scopo decoctum lign. Gvajac. vel infusum ejusdem cum vino admixtis diureticis non erit incommodum.

§. 5. Si Cachexiæ causa majora sumat incrementa, species hydropis, quæ Anasarca sive Leucophlegmatia dicitur, generatur,

partes-

partesq; carnosæ in majorem molem elevantur; præcipuè pedes circa vesperam intumescunt, & presſi uestigia digitorum referunt, noctu tamen detumescunt. Differt enim hoc malum solùm magnitudine â Cachexiâ, & hinc cum eosdem agnoscat natales, idem qvod de causis & curatione cachexiæ proximè dicebatur, & hic dictum esse volumus; habito solum majoris & minoris respectu.

§. 6. Anasarcam meritò excipit secunda species Hydropis Ascites, in qva major hepatis imbecellitas, major qvoqve obstructio: ob qvam humoris aqvosi tàm â liene, qvam â reliqvis partibus cum sangvine revertentis maxima copia in hepate cumulatur; qvi humor, cum amplius intra hepar retineri neqvit exitum sibi qværit, maximè circa latera Venæ portæ, qvo loco vasa sunt lymphatica & vel in omentum eo loco duplicatum, vel super illud in cavitatem abdominis effunditur, â qvo venter sensim intumescit & turgescit: Tandem verò, ubi ab humore effuso & putrescente reliqva qvoqve vasa lymphatica intra abdomen in consensum trahuntur, erosa eorum tenui tunicâ copia humoris adaugetur venterq; maximam molem acqvirit. Sangvis qvoqve per vasa hepatis denegato transitu putrescit; â putredine calor præter naturalis accensus appetitum ad frigidum & humidum continuò stimulat, cui ægri obseqventes, nihil tamen exinde commodi percipiunt, sed plus saltem humoris in abdomine cumulant, unde malū intenditur, & qvo plus sunt potæ plus sitiuntur aqvæ. Difficilis est admodum, ubi nondum invaluit, Ascitæ curatio; at, ubi progressu temporis vires sumpsit, ductusq; aqvosi pleriq; tam ab acrimonia humoris erosi, qvam putredine corrupti, impossibilis: *Hippocr. sect. 6. aph. 14. Solvi morbum dicit, si aqva è venis in ventrem confluxerit. Alui igitur profluvium, uti & evacuatio aqvæ per urinam, salubre signum:* Indicio namq; est

 natu-

naturam jam morbo insurgere, molestumq; sibi qvod est, ejicere, ut viæ reddantur expeditiores. Eadem tamen evacuatio, nisi in principio integris adhuc fiat viribus, nihil proficit; qvamvis enim natura aliqva oneris parte, levata videatur, malum tamen propter excesa vasa recrudescit. Curatio hydragogis, hepaticis medicamentis, ἀτονίαν corrigentibus, aperiendi simul vi preditis, diureticis, & Topicis sive externis remediis siccantibus & resolventibus absolvitur, qvorum copiam tibi comparabis *ex Hollerio lib. de morb. intern. 1. c. 29. Sennert Pract. lib. 3 part. 6 sect. 2. c. 3. Ioële libr. 5, sect. 1.* & aliis. Notandum inter diuretica salia maximè locum mereri eademq; præcipuè, qvæ volatilia appellantur, siqvidem non solum urinam pellunt, sed & penetrandi vi obstructiones reserant, propriaq; sua qvalitate putredini resistunt. Ubi his nihil promovetur, ferro & igne utendum, & instituenda manualis illa operatio, qvæ dicitur παρακέντησις; qvæ tamen & ipsa si collapsis fiat viribus, nihil auxilii affert. Dæta sit tenuis, magnaq; â potu abstinentia injungatur ægroto. Hac enim ratione Asclepiades qvendam ê qvartana in Hydropem incidentem bidui abstinentia & fricatione usum sanitati restituit. Ut refert *Celsus de Medicinâ lib. 3. cap. 21.*

§ 7 Tertia species Hydropis Tympanites dicitur, qvod venter instar tympani tensus appareat; neque enim ut in Ascite vestigia digitorum impressorum refert, sed prementi admodum renititur, sonitumq; pulsus reddit. Causa communiter dicitur esse flatus intra perionæum conclusus, cujus naturam non incongruè describit *Aëtius Tetrabib. serm. 2. cap. 20. Tympanites flatus aëre repleti ac superflui plurimam collectionem in iisdem ventri incumbentibus locis facit, ut in principio sola inflatio esse videatur: postea tamen flatus inspissatur, & veluti nubilus redditur, atq; ita una cum flatu nebulosus qvasi humor consistit, & congregatur*

gatur. Ex his commodè materialem flatuum causam perspicere licet: cum enim flatus dicatur esse nebulosus & inspissatus; certum est eundem â materia lymphâ vel aqvâ crassiori esse elevatum. Eadem verò materia crassior, vel erit sangvis vel alterius conditionis. Sangvinem non esse, vel solus sensus in apertis Hydropicis nos docere valet; imò veresimile est, crudum magis sangvine humorem flatibus materiam suppeditasse. Cum igitur neq; sangvis neq; lympha causa sint, reliqvum est, chylum crudiorem in spatia abdominis ê vasis lacteis effusum, & circum jacentium partium calore in flatus nubilos & crassiores elevatum, materialem eorundem causam esse. Confirmant hoc ipsum in Tympanite affectis læsa ventriculi intestinorumq; ob debilem calorē concoctio â qva in ijsdem vijs maxima flatuum copia producitur; certo indicio chylum crudiorem flatibus generandis materiam esse aptissimam. Huc accedit viæ commoditas: ab intestinis enim ductu naturali per vasa lactea chylus flatulentus ulterius tendens, ijs ruptis facile in abdomen penetrat; ut neqve cum Fernelio cœcos tenuesq; ductus, per qvos ex intestinis flatus in cavitatem abdominis perveniant, adstruere, neq; alios cum aliis qværere necessum sit. Rupta verò vel læsa esse vasa lactea indicant lumborum dolores & diuturna circa umbilicum tormina hunc affectū præcedentia læsumq; mesenterium significantia, ut patet ex *Hyppocrat. Sect 4, § 11.*

§. 8. Liqvet hinc qvid sentiendum sit in prognosi de qvæstione agitata, utrum Tympanites vel Ascites periculosior sit affct9? *Aëtius* Tympaniten periculosiorē esse dicit, idemq; vult *Averrhoes*, contra qvem disput. *Iacchinus Comm. in 9. libr. Rhas c. 52.* Asciten periculosiorem esse, asserens: quia in Tympanite minor caloris defectus; Humida enim substantia sine calore inflatum non vertitur. Secundò qvia malum â ventre ortum ducit, at in Asci-

te pars princeps laborat. Sed qvamvis minorem in Tympanite caloris defectum esse concedamus; attamen ob vasa lactea lymphaticis præstantiora in Tympanite affecta, vel utrisq; ob vicinitatem loci simul læsis, unde ascitæ cum Tympanite conjunctio; secundò materiam magis pertinacem & solutu difficilem cum *Aëtio & Averrhoe* omniũ hydropis specierũ periculosissimam Tympaniten esse statuimus: & ea propter etiam ferè incurabilem. Perficitur interim curatio, si aliqvam nobis promittere possumus, vitiatam coctionem ventriculi corrigentibus; & carminativis materiam in flatus elevatam discutientibus tàm internis qvam externis. In Diæta vitentur omninò cibi flatulenti, potus admixta habeat carminativa.

§. 9. Icterus sive Icteritia itemq; morbus regius, flavo suo colore, primò in tunicis oculorum, & post in corporis habitu se prodens, ortum ducit â bile in hepate non separata & hinc in ambitum corporis protrusa. Negligitur illa separatio bilis à sangvine, ubi vel pori bilarii intra hepar, ductus vè vesiculæ, aut etiam canalis communis bilem ad intestina vehens obstructionem patiuntur. Curatur medicamentis Cholagogis & deobstruentibus, itemq; bilem in corporis habitum diffusam discutientibus. Quæ omnia tempestivè sunt adhibenda, ne malum in Asciten degeneret.

§. 10. De *eâ* icteri specie, quæ mutato à veneno corporis colore provenit, tractare hoc loco integrum non est: loco siquidem affecto, (malè enim hepar mutati coloris ab aliis causa constituitur) caus*â*, symptomatibus, & modo curandi, planè differt ab ictero communiter sic dicto, & hinc meritò non hepatis affectus, sed morbi venenati Symptoma audit. De ictero nigro flavo contradistincto in sequentibus agetur.

CA-

DIPUTATIO VIII.
Andreas Thamnitius Thorun. Bor.
Respondens.

CAPUT XII.

§. 1. Lien sive splen, aliis lingvosum Viscus, quod lingvæ bovinæ non sit absimilis, numero unicus in sinistro latere sub diaphragmate, parte simâ Ventriculum, gibbâ costas spurias respiciens collocatur; Rarô plures uno in animali inveniuntur: Duos tamen *Aristoteles* uti & situm immutatum vidit *lib. 4. d. generat. animal. c. 4. Fallopius* tres observavit. Vasa lienis sunt, Vena splenica â Vena Portæ, & Arteria Lienalis, ab Aortæ descendentis trunco juxta cœliacam Arteriam ortum ducens, & flexuoso ductu adLienem pergens, propè eundem in duos ramos, Lienem verò cum vena simul ingrediens, in varias scinditur propagines: & ultimo loco vas breve â liene ad ventriculum tendens, itemq; venæ hæmorrhoidales. Parenchyma laxum & spongiosum est, in fœtu rubet, in adultis subnigricat, in aliis aliquando alterius coloris est; magnitudine in omnibus non æquali, majori tamen in homine, quam in aliis animalibus respectu proportionis. Nervulum â sexto pari Tunicæ insertum admittit. Conectitur omento, reni sinistro, peritonæo & carnosæ diaphragmatis parti.

§. 2. De usu hujus partis tam variæ & discrepantes sunt Authorum opiniones, ut integer iisdem recensendis vix sufficere videatur Tractatus: Quapropter primos saltem fontes, è quibus illud opinionum pelagus dimanavit, delibare præstabit. *Hipp.* usum hujus partis *lib. 4. d. morb.* his verbis delineat: *In Ventriculum potus fertur, quo cum expletus fuerit, Lien ab eo recipit, & in venas distribuit; & si morbus superveniat multæ aquæ â potu fit accessio è ventriculo, & semper ad Lienem, siquidem homo bibat, fertur. & d. morb. mulier. Lien quod est reliquum è ventriculo ad se trahens, suscipit, cum sit rarus & spongiæ similis, &*

 propè

Propè ventriculum situs. Opinio itaq; est *Hipp.* potulentam materiam Lienem, è ventriculo aittrahere eandemq; venis distribuere. Aliam fovet *Plato lib. 32. d. natura: Proximum, inquit, huic (scil. jecori) ad sinistram locatum est hujus gratiâ membrum, ut purũ hoc semper clarumq; reddat & instar speculi nitens atq; perspicuum, ad imaginesq; exprimendas accomodatum. Quapropter quando propter corporis morbum sordibus jecur abundat, Lienis raritas id purgans eas combibit, cum membrum hoc concavum sit & exsangue, unde purgamentis impletum excrescit, tumetq; sanie.* Propius ad mentem *HiPp.* accedit *Philosophus,* quando *lib. 3. d. animal cap. 7.* hepar & lienem facere ad alimenti coctionem vult, quod eodem loco his verbis paulo uberius explicat: *Lien humores superfluos è ventriculo attrahit, & concoquere eos potest, cum sit sanguineus. Quod si plus humoris superflui sit, parumq; caloris habeat Lien, morbosus evadit, plenus existens alimento. Galenus* non procul ab opinione Platonis abest, & *lib. 4. d. usu part. c. 15.* splenem instrumentum esse dicit, quod purgat limosos, crassos & melancholicos succos in hepate genitos, attrahens eosdem per vas venosum tanquam stomachum, atq; ex iis alterando, & crassum quod est sejungendo, utile sibi conficiens alimentum, reliquum verò in ventriculum eructans.

§. 3. Hæc ultimo loco allata Galeni opinio plurimorum medicantium insedit animis, ita ut suo tempore Vesalius eandem omnibus persvasissimam esse dicat; quam tamen audacter falsitatis damnare non veremur, vel hoc unico fundamento nitentes, quod Lien nihil quicquam per vas venosum ab hepate accipiat, quemadmodum id motus sanguinis in vivis sectionibus satis probat; ut taceam argumenta alia à Bauhin, *lib. 1. Anatom. cap. 43.* & ab aliis adducta.

§ 4. De-

§. 4. Derelicto igitur Galeno, castra ſequimur Philoſophi, & συμπέπτειν ſive βοηθεῖν πρὸς τὴν πέψιν τῆς τροφῆς Lienis munus eſſe ſtatuimus; dum è ventriculo partim per vaſa quædam lymphaticis cognata, partim per vas breve potulentum recipit humorem, eundemq; ſanguini arterioſo permiſtum calore ſuo, cum ſanguineum ſit viſcus, coquit & alterat, alteratumq; aliis partibus ad ulteriorem perfectionem ei inducendam transmittit. Hac ratione revera coctioni alimenti opitulatur Lien, dum ſanguinem tenuiorem præparat, quo homo tanquam prudentiſſimum animal maximè gaudere debuit. Prudentiora ſiquidem ea animalia ſunt, quæ tenuiorem habent ſanguinem, docente id *Philoſopho lib 2. d. part. animal. c. 2.*

CAP. XIII.

§. 1. Iiſdem ferè Lien quibus hepar laborat vitiis, nimirum imbecillitate, inflatione ſ. intumeſcentia, obſtructione, ſcirrho, hydrope & Ictero; Quæ omnia iiſdem quoq; curantur remediis.

§. 2. Imbecillitas ejus eſt ab intemperie præſertim frigida, ob quam coctionem debitam non abſolvit, ſed humorem aquoſum & crudum per venas ad alias partes dimittit; unde aquoſus humor ſanguini permiſtus eundem refrigerat, homineſq; melancholicos reddit, tardos ſcil. in actionibus, aſpectu triſtes, meticuloſos, ſputoq; aquoſo abundantes; Unde & ab *Hippocr.* Melancholici ſputatores dicuntur. His convenit motu calorem in ſanguine excitare, ut ſeroſum & aquoſum quod eſt diſcutiatur, & per poros corporis evacuetur, partim etiam â calore abſumatur: itemq; præſcribenda calidiora ſplenica interna & externa, quò calor partis revocetur atq; muneri ſuo in co-

quendo sufficiat. Splenica medicamenta ex antedictis petere poteris fontibus.

§. 3 Ubi non solùm humor aquosus & crudus in liene generatur, sed & propter aliqualem in viis angustiam aliquantulum subsistere tenetur, facilè idem in flatus resolvitur, & intumescentiam sive inflationem hujus partis parit, de qua plerumque conqueruntur Melancholici. Redduntur a. viæ Lienis angustæ propter partes terrestriores & crassiores humori aquoso mistas, quæ permeante tenuiori parte in viis hærent; Duabus n. his melancholicus humor constat partibus; altera tenuiori & aquosa, quæ vehiculi instar est, & simpliciter ab *Hipp. 4. d. morb.* aqua dicitur; altera crassiori, quæ terrenæ omnino sortis est. Curatur hic affectus aperientibus splenicis & flatus discutientibus, quæ si Practicos semper adire displicet, vel è Morello, Tilemanno, Follino & aliis, qui medicamenta in certas classes pro adjuvanda memoria redigere voluerunt, facili negotio excerpes.

§. 4. Si priori malo non subveniatur, crassæq; partes viis inhærentes augeantur, obstructio succedit, quæ fortiora aperientia & purgantia Lieni appropriata requirit; aliàs si curatio negligatur, facile in Scirrhum degenerat, qui penè incurabilis. Exectione curatus legitur à Fioravantio in muliere Græca Panormi habitante, quæ spacio 24. dierum ab exectione sanata Missam audivit in Templo B. Virginis de miraculis sana & salva. Lien è corpore extractus unc. 32. pependit. Historiam integram legere licet apud *Bartholin. Histor cent. 4. pag. 346.*

§. 5. Inflammatio Lienis oritur à sanguine calidiori per arterias advecto, & denegato propter obstructionem regressu, ibidem subsistente, qui dum putrescit varia excitat Symptomata; Vapores enim tetri dum ad Cor & Cerebrum elevantur, Phantasiam depravant, mentem & rationem turbant, unde varia delirio-

deliriorum genera & alia mala. Curatur aliarum inflammationum more additis lieni appropriatis.

§. 6. Icterus niger ab *Hipp. lib. 2. d. morb.* delineatus nigro quemadmodum flavus flavo cutim colore inficit, & ab hoc symptomate nomen quoq; suum nactus est. Communiter ejus origo lieni adscribitur, quod hic officio suo non satisfaciat, repurgando scilicet sangvinem à crasso, atro & melancholico humore, unde sanguis impurus ad partes deveniens, easdem tetro suo colore fœdat, ut vult *Ægineta lib. 3. c. 49. Mercat. lib. 4. d. intern. morb. Curat. c. 5. Argenter. Comment. in Aphor 62. lib. 4. Christoph. à Vega d. arte medend. lib. 3. c. 8. &c.* Huic tamen persvasissimæ opinioni difficilem se in assentiendo præbet *Felix Platerus Tom. 3. Prax. p. 85.* & duabus rationibus, quarum prima est, quod nulla vesicula s. sinus bili atræ naturaliter in Liene recipiendæ dicatus reperiatur; & secunda, quod nulla hujus humoris ad Venam Cavam fieri queat transmissio, eandem oppugnat; asserens in Liene atram bilem non perquirendam, sed in portæ ramis eum humorem cumulatum primò ad hepar & hinc in cavam transmitti.

§. 7. Rationes has non de nihilo esse ait *Senert. libr. 3. pract. part. 4. c. 11.* quia cum in nullo amplo receptaculo humor ater contineatur, sed sensim ut generatur evacuetur, non poterit æq; ut flavus sic niger Icterus subitò hominem invadere. Conciliationem itaq; quærit, dum Plateri opinionem in ea Icteri specie, quæ subitò fit, obtinere vult, aliorum verò sententiam in illa quæ lentè & sensim, Liene atrum humorem suppeditante, colorem corporis immutat. Sed conciliatio illa, quomodo locum habere queat non videmus; Plateri enim opinio talis est, quæ fundamentum adversæ opinionis planè destruit; siquidem illi humorem Melancholicum à Liene repurgari pro indubitato

habent, & ex hoc fundamento concludunt: Platerus verò illam de lienis usu opinionem rejicit, Focum quoq; generationis atri humoris alium constituit, & venæ cavæ atrum succum à Liene communicari posse pernegat.

§. 8. Neq; tamen propter dictas Plateri rationes immunis ab hoc vitio censendus est Lien; quamvis enim tantum humoris contineri in Liene nequeat, quantum ad hunc affectum subitò producendum sufficit, (quod ipsum continuus & circularis sanguinis motus prohibet) attamen vitio lienis ob imbecillitatem humorem sibi transmissum non benè coquentis crudus ille aquosus & melancholicus humor sanguini communicari statoq; tempore ad cutim propelli poterit. Ejusmodi tetri coloris causam morbosum & aquosum Lienis sanguinem esse disces è *Philosophi sect. 9. probl. 5.* Indicio quoq; erunt culpa Lienis Icterum nigrum generatum mala spleneticis familiaria hunc affectum præcedentia, Imò in iis, qui lienis vitiis obnoxii sunt, talem nigricantem colorem, qualis in Ictericorum cute apparet, ipsum parenchyma Lienis referre videbis. Posse autem ejusmodi aquosum humorem partes terrestriores admixtas habentem, per aliquod temporis spatium in sanguine hospitari, donec irritatâ naturâ, vel à copia vel à qualitate humoris, Evacuatio vel propulsio ad exteriora ejusdem fiat, commonstrant humores alii cum serosi tum pituitosi tum biliosi in sanguine è vena misso magnâ satis copiâ apparentes.

§. 9. Minus negocium facessit nobis secunda Plateri ratio, quà Humorem atrum à Liene venæ cavæ communicari posse negat; quia nulla huic operi commoda adsunt vasa: Cognitus enim in viventibus sanguinis motus, per ramum splenicum Venæ Portæ naturali ductu humorem à Liene æq; ac è mesaraicis Venis Hepati, & hinc venæ cavæ communicari posse demonstrat.

§. 10.

§. 10. Icteri igitur nigri fons meritò dicetur Lien, quemadmodum flavi hepar: Quo vicissim utroq; Viscere laborante, tertia Icteri Species cujus mentionem facit *Argenterius comment in ἀφορ. 62. l. 4.* exurgit; liene nimirum atrum humorem suppeditante, qui cum bilioso, hepatis vitio non separato, mixtus, mixtam ex utroq; constituit Icteri speciem, quæ propter cognationem hepati cum liene intercedentem, frequentior priori esse solet.

§. 11. Curatur Icterus niger iis medicamentis, quæ sanguinem purgant â melancholico humore, partim per alvum evacuando, partim diureticis: Quibus succedere debent confortantia splenica admixtis aperientibus. Maculæ in externis partibus, si ab his medicamentis propinatis non evanescant, externis remediis sunt delendæ.

CAP. XIV.

§. 1. Perpensis hepatis lienisq; structurâ & morbis, his propinqua at penitiori loco circa principium spinæ lumborum locata corpora Renes Græce νεφρῦς dictos scrutabimur. Non exactè & è diametro sibi invicem opponuntur; sed alter altero elatiorem sedem obtinet; Et in brutis quidem dexter (qui & in hepate pro commodiori situ sinum exsculptum habet) sinistro, in homine verò sinister dextro superior est: hunc tamen positum non semper observante naturâ.

§. 2. Figuram habent phaseolorum, & superficiem, quam propria & interior tunica constituit æqualem & lubricam. Exterior membrana involucrum & fasciam Renum efficit; Estq; â Peritonæo multo adipe luxurians, unde & venæ huc tendentes adiposæ dicuntur. Ope hujus tunicæ Renes vicinis connectuntur Partibus.

§. 3 Vaſa Renum præcipua ſunt Venæ & arteriæ emulgentes dictæ, ab Arteria magna & Vena cava in utroq; latere per transverſum corporis & utrumq; Renem tenſæ, eoſdemq; ingreſſæ in ramulos aliquot diviſæ, qui in tenuiſſimos ſubtiliſſimosq; deſinunt ductus. Inferunt autem arteriæ ſanguinem à ſero liberandum, liberatumq; revehunt venæ.

§. 4. Adſunt præterea carunculæ ut plurimum octo, cuilibet ureteris ramo appoſitæ eorum foramina obturantes. Sunt autem Ureteres corpora teretia, longiuſcula, intrinſecus cava, ſtructuram arteriarum æmulantia, ſerumq; à Renibus ad Veſicam deferentia. Unicus ſaltem in utroq; latere protenditur ureter, qui intra renem in ramos carunculis numero pares dividitur. Inſeruntur juxta cervicem Veſicæ obliquo ductu, appoſitamq; habent interno inſertionis loco valvulam, ne ſerum è veſica ad ſuperiores partes regurgitare queat.

§. 5 Veſica corpus rotundum eſt membranoſum, & dividitur in fundum & cervicem. Fundus duplici conſtat membranâ intimâ & extima; media inter has ſubſtantia ab aliis dicitur muſculus totam Veſicam ambiens; ab *Aquapendente* verò membrana tertia nominatur. Cervix fundo carnoſior eſt, & muſculum habet circumpoſitum, qui Sphincter Veſicæ dicitur, ad prohibendum involuntarium urinæ profluvium. Eadem in Viris obliquo pauliſper ductu in canalem urinarium deſinit; in fœminis non item, in quibus & collum veſicæ brevius eſt & latius. Connectitur in viris inteſtino recto, in fœminis utero, & ſuperiori loco per Urachum umbilico. Venæ ad hanc partem feruntur ab hypogaſtricis, & in fœminis rami ab iis, quæ uterum petunt. Arterias itidem obtinet pro nutritione exiles.

§. 6. Præter hæc corpora alia adhuc à *Bartholom. Euſtachio* ſunt inventa, quæ ab Inventore glandularum nomine appellantur,

tur, à Casserio verò Renes succenturiati, & à *Bartholino* capsulæ atrabilariæ dicuntur. Venas & arterias habent ab emulgentibus, situmq; renibus paulò elatiorem.

§. 7. Usum harum partium determinat *Philosophus l. 3 d. part. animal. c. 8. & 9.* Cum enim ea saltem animalia, quæ pulmonem sanguineum habent, & proinde propter caloris excessum sitibunda magis sunt, renes, ureteres & Vesicam habeant; manifestum est, propter excrementi humidi à copioso Potu abundantiam has partes à natura esse fabricatas.

§. 8. Et Renum quidem officium est, sècernere serosum humorem à sanguine. Quâ ratione id autem fiat, controversum semper fuit inter Authores, dum alii serum expurgari voluerunt renum attractione, alii venarum expulsione, alii humoris serosi peculiari ad renes vergentiâ. Nos supervacaneum esse existimantes, vel recensere vel refutare cujuslibet opinionis argumenta, nostram quam brevissimè ex iis, quæ evidenter in natura apparent, petitam exponemus opinionem.

§. 9. Certum est sanguinem per arterias emulgentes in Renes naturali & continuo motu per pulsum arteriis communem ferri, eundemq; non secundum omnes partes propter earundem crassitiem tenuissimos quosq; intra Renes ductus pertransire posse; sed per eosdem saltem, id quod tenue serosum & aquosum est, percolari. Sunt verò ejusmodi tenuissimi meatus circa caruncculas præcipuè papillares, ut per has non nisi quod tenue quàm maximè & aquosum est, (respectu aliarum in sanguine partium) ad tubulos ureterum transsudare queat. Hæc transsudatio & percolatio continuè promovetur arteriarum pulsu sanguinem eò adigente. E sanguine in locum adacto & à sero purgato, renibus quantum ad eorum nutritionem sufficit, applicatur; Reliquum verò per venas emulgentes ad cavam revehitur.

§. 10. Serum ita per carunculas in ureteres destillans ab iisdem in vesicam devehitur; Cujus officium est colligere & continere serosum humorem (valvulis ureterum urinæ regressum, & cervicis sphinctere egressum involuntarium prohibentibus) collectumq; ubi copiâ ejusdem gravatur contrahentibus se fibris evacuare.

§. 11. Renes succenturiati, qui ab aliis dicuntur id officii genus habere, ut atram bilem contineant, mihi quidem non alium in finem videntur conditi, quam ut sint diverticula sanguinis, ne nimia ejusdem copia obruantur renes. Hunc usum eosdem obtinere demonstrant & propinquitas loci & vasa ex ipsis venis & arteriis emulgentibus eò tendentia.

CAP. XV.

§. 1. Uti mirabili gaudent renes structura, ita & in usus declaratione & in causarum status præternaturalis explicatione multorum ingenium fatigarunt. Sunt verò Vitia renum sequentia: Angustia, Inflammatio, Calculus, Ulcus & Diabetes.

§. 2. Inter Affectus Renum Primatum commodè tenet Viarum angustia: Communis enim hæc reliquorum affectuum quasi mater est. Angustantur autem viæ vel culpa aliarum partium comprimentium & tum curatio eò dirigenda; vel proprio vitio, humore crasso & mucoso viis tenaciter adhærente; Unde saltem tenuius in sero quod est, percolatur, terrestriori sive salinâ materia remanente, quæ in dies aucta compingitur, caloreq; renum magis magisq; indurescit.

§. 3. Atq; hæc quidem, antequam malum in vigore sit, fiunt citra caloris febrilis dolorisve nephritici perceptionem, ubi nimirum obstructio in iis viis est, per quas serum percolari debet; sed si eádem obstructio vel angustia sit in vasis sanguifluis (venis puta) per quæ sanguis advectus revehi debet, tunc subsi-

stente

ſtente ſanguine ibidemq; putreſcente oritur Inflammatio à qua calor præternaturalisq́, Febris inordinata, dolor vehemens Renum regione circumſcriptus, ventriculi ſubverſio propter nervos renibus cum ſtomacho communes, cruris ſtupor propter muſculum lumborum coaffectum, & deniq; partium intumeſcentia.

§. 4. Sublatis in tumorem partibus, obſtructioneq; hinc aucta, ſerum ſaltem aquoſum tenue & in parva quantitate exit, partibus craſſioribus, viſcidis, terreniſq; retentis, qvarum aliquando pars quædam magno naturæ conatu impetuq; materiæ cumulatæ vias aperiente per ureteres ab Veſicam defertur; Unde urina majori copia, craſſa, turbulenta, mucoſa & arenoſa excernitur: Reliquum verò quod in renibus ſubſiſtit, coadunatur, & à calore in lapideam ſubſtantiam excoquitur, unde calculus renum ortum ducit.

§. 5. Ita modum quo calculi in renibus generantur tenes; ut neceſſum minimê ſit huc arceſſere peculiarem quandam facultatem λιθοποιητικὴν; quia hic ſufficit calor, qui pro aptitudine materiæ modò liquefacit modò indurat, ut quotidiana experientia illud probat, atq; olim cecinit Poëta Eclog. 8. v. 80.

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit
Uno eodemq; igni, ſic noſtro Daphnis amore:

Quodſi quis eum caloris gradum, qui laterum coctioni è limo terræ convenit, in corpore humano adeſſe negaverit, is reſponſum feret, neq; hic tanto caloris gradu opus eſſe, ſed & blandum calorem è materia terreſtriori alienũ & ſuperfluum humidum evocare poſſe (quamvis non æquali tempore) præſertim ubi materia naturali vergentiâ ad exiccationem tendit, quod terræ proprium eſt, quæ quemadmodum naturâ motu deorſum gaudet, ita & ſiccitatem ſibi naturalem amat, & propterea humi-

dum sibi alienum, ubi vel calor humidum evocando vel frigus exsiccando in se agit, facilè excludit. Suppeditant fœculentam hanc & mucosam materiam abundè cibus & potus ejusmodi impurum quid & concretioni in lapidem aptum continentes; quod ubi per vias debitas non evacuatur, facilè partes homogeneæ coadunantur & indurescunt. Reliqua naturæ miracula à *Plinio, Aventino, Camerario* & aliis adducta, quibus constat & materiam minus aptam in lapidem fuisse conversam in præsenti non attendimus, de generatione calculi renum solùm solliciti.

§. 6. Calculus in renibus generatus plerumq; ulcerosæ renum dispositionis author est, præsertim ubi inæqualem habet superficiem, quæ præprimis in ductibus ureterum pulso vel à natura vel medicamento lapide maximos cruciatus excitat; Non solùm enim præter naturam corpora ureterum extenduntur, sed & vulnerantur.

§. 7 Signa è dictis patent: Si quis enim tenuem aquosam reddet urinam, paucioremq; quam convenit, interdum cum pituitoso admixto humore subsidentibus arenulis cum dolore in renum regione, vel secundum ductum ureteris obscuro, obstructiònis fientisve calculi indicio hoc erit. Si verò dolor sit vehementior & quæ sunt alia §. 3. enumerata, inflammationem adesse colliges. Purulenta cum sanguine materia exulcerationem indicabit.

§. 8. Curatio perficitur materiæ fœculentæ limosæ & pituitosæ, quæ in primis viis hæret, evacuatione, ne eadem ad renes delata malum augeat. 2. Diureticis materiam pituitosam ne concrescat resolventibus atq; vias aperientibus. Conducit ad id tinctura Tartari & alia è Tartar. parata medicamenta c. aq. diureticis. Atq; hæc obstructionis initio adhibita successu non carent. Difficulter a. hic aliquid promovemus, ubi materia in calculum jam concrevit.

§. 9.

§. 9. Periculosior affectus Inflammatio renum est, quæ absq; mora Venæ Sectionem postulat, diuretica calidiora respuit, mitiora verò ubi calor & dolor minuitur, malumq; ad declinationem vergit, admittit. Prosunt hic Clysteres dolorem lenientes, Topica initio repellentia post resolventia, & si materia discuti nequeat, maturantia, quæ simul vias leniant; ut decoct. hord. Alth. Externè Cataplasmata è malv. parietar. Alth. sem. lin. &c. De reliquo consule Practicos.

§. 10. Contrarius prioribus omninò Diabetes affectus est; In illis namq; indebitè moratur materia ad renes per emulgentes delata; In hoc citius quam par est evacuatur. Hinc & alii affectum hunc à Græco διαβαίνειν dictum volunt: quod potus assumptus vel parum vel nihil mutatus subitò & celeriter transeat.

§. 11. Qui hoc affectu detinentur, siti vehementiori vexantur, interneq; uruntur absq; levamine a potu percepto; quia omne quod ingurgitatur per urinam redditur, & ferè nihil quicquam in alimentum partium absumitur. Causam hujus affectus Authores alii aliam statuunt; Nos ad ea attendentes, quæ in hoc affectu manifestè apparent calorem internarum partium tanquam causam nimiæ & inordinatæ sitis accusamus. Hic enim continuò appetitum ad humidū & frigidum stimulans non patitur, ut debitam moram potus in ventriculo nectat, sed eum ad partes interiores allicit, concurrente hic ventriculi & intestinorum imbecillitate, ob dejectum fibrarum robur δύναμιν περισταλτικὴν aliàs exercentium. Ubi vitium hoc commissum est in prima coctione, potusq; crudus Venas subiit, idem error non corrigitur in altera, sed ubi per emulgentes cum sanguine humor ad renes devenit facilè ab eodem, cui propter cruditatem intimè commixtus non est secernitur, & propter viarum in renibus la-

xitatem, ibidem quoq; nullam coctionem expectat, sed continuò partem humoris lymphatici sibi jungens per ureteres ad vesicam defertur. Hæc nostra est de hujus rarissimi affectus causa opinio, salvo interim cujusvis judicio.

§. 12. Supervenit plerumq; febribus ardentib⁹ & malignis hoc vitium periculosum satis, imò lethale, si vires à morbo priori sint prostratæ. Indicationes calorem frigidis oppugnandum esse, laxitatemq; viarum adstringentibus corrigendam svadent. Huic scopo inserviunt tam interna quam externa medicamenta adstringentia, parata è ros. rubr. plantag. portulac. acetos. corall. Santal. c. c. præparato spodio & aliis.

§. 13. Vesica in functione sua turbatur, ubi vel fundum ejus vel cervix malè sunt affecta. Fundum vel intemperie, quæ tonum fibrarum dejicit, laborat; vel affluxu acrium humorum superficies ejus interior eroditur; Unde scabies quæ è pruritu in pectine & furfuraceo urinæ sedimento cognoscitur. Curatur hæc affectio Evacuatione salsorum humorum, eorundemq; temperatione sem. 4. frigid. lactuc. succ. fragor. &c. Vel etiam exulceratur vesica, à quo dolor circa pubem & pus cum urina graveolenti excernitur. Præter curationem universalem abstergentia & consolidantia hic prosunt. Varias medicamentorum formulas reperies in *Sennert. Pract. lib. 3. part. 8. sect. 1. c. 6.*

§. 14. Fundo simul cum cervice incommodat calculus, cujus & causam & διάγνωσιν proponit *Hippocr. lib. d. aëre, locis & aquis, pag. mihi 286.* his verbis: *Quibus verò alvus ignea fuerit, vesicam etiam eadem affectione teneri necesse est. Cum enim magis quam natura postulet calefacta fuerit, os ipsius inflammatione tentatur. Sic autem affecta, urinam non emittit, sed in sese concoquit & adurit, & quod quidem in ea est tenuissimum, secernitur, quodq; purissimum transit & cum urina educitur; quod verò crassissimū & turbidissi-*

bidissimum, colligitur & concrescit, primum quidem minori copia, deinde majore. Cum enim per urinam volutatur, quicquid crassum constitit, ad sese applicat, eoq; modo augetur & in tophum durescit. Dumq; urinam emittit, ab urina vi propulsum, ad vesicæ os collabitur & urinam impedit, doloremq; vehementem exhibet. Hoc in affectu medicamenta calculum conterentia & pellentia exhibenda, cui scopo omnia ea inserviunt, quæ ab Authoribus calculo renum opponuntur. Laudatur hic præprimis pulv. ex asellis præpar. cujus ope à calculo liberatus est *Wilhelmus Laurenbergius Professor Rostochiensis*, ut testatur *Sennert.* & ex eo *Riverius.* Ubi medicamentis calculus non cedit, manualis operatio locum habet, eaq; vel cum sectione vel citra sectionem. Hæc tutior quidem; in viris tamen non æquè commoda. Administratam tamen eam à Chirurgis Arabiæ & Ægypti in Duce Turcarum felici cum successu *Prosper Alpinus* vidit: modum operandi describit *lib. 3. d. Medic. Ægyptiac. c. 14.* Utraq; verò operatio peritum requirit Chirurgum, & antecedentem corporis præparationem. Ratione inflammationis ea conveniunt, quæ proximè de renum inflammatione dicta sunt. Si calculus ad cervicis os devolvatur, egressumq; urinæ impediat Cathetere immisso eundem repellere convenit.

§. 15. Cervix ut plurimum afficitur in urinæ incontinentia, ἰχουρία, ςραγ]ουρία & δυσουρία.

§. 16. Urinæ incontinentia s. involuntarium ejusdem profluvium fit ob affectum musculum sphincterem, quando fibræ ejus constringentes, vel facultatem propter nervos laborantes non recipiunt; vel receptam propter mollitiem & laxitatem à nimio humido exercere nequeunt. Nimia humiditas pueris: at Virtutis defectus, senibus, Paralyticis & Apoplecticis familiaris est. Curatur ratione causarum humiditatem nimiam tollendo,

quæ in pueris aliquando crescente ætate spontè imminuitur: in senibus verò defectum virtutis restaurando. Quibus imbecillitas musculi connata est & naturalis, illi in integrum non restituuntur.

§. 17. ἰσχυρία s. totalis urinæ suppressio oritur à cervicis tumore, obstructione factâ à calculo, grumo sanguinis, pure, adnatâ caruncula, callo, vel etiam ab aliarum partiū compressione, & deniq; fibrarum musculi sphincteris ad cervicis relaxationem facientium resolutione, accedente paralysi fibrosarum fundi partium expulsioni urinæ servientium. Curatur materiæ obstruentis remotione; tumoris emollitione; & iis quæ nervis sunt amica, resolutæ si sint fibræ.

§. 18. στραγγουρία s. continua urinæ guttatim facta emissio provenit à rebus sensum partis exasperantibus, à quibus musculus sphincter ad excretionem irritatus, ubi acrimoniam à transeunte materia sentit, se constringit, quam constrictionem vicissim irritata vis expultrix, & hanc iterum constrictio excipit: Quæ ita aliquandiu continuantur, usq; dum natura vel spontè vel adhibitis medicamentis ad pristinum redeat statum. Curatio, si malum ab humorum acrimonia ortum habeat, post lenem evacuationem, ea quæ humores acres temperant, requirit. Forestus lib. 25. observat. 4. se solo decocto malv. c. syr. Violar. per aliquot dies usum sanitati restitutum esse testatur. Si à refrigeratione στραγγουρία eveniat, calefacientia, Theriac. Mithridat. diagalang. exhibenda, & externè olea calida inungenda.

§. 20. Molestus quoq; affectus & priori cognatus δυσουρία est, in qua non guttatim ut in stranguria, sed modo pauciori modo majori, quantitate urina redditur cum dolore & ardore ob continui solutionē; vel ab humoribꝰ acrioribus, vel ab assumptis cantharidibꝰ, aut aliis continuū solvere aptis factus. Prodest ol. amygd. dulc. & si â cantharidibus haustis δυσουρία oriatur, lac. mucilag. Sem. malv. Psyllii, Alth. Emulsiones Semin. papav. lactuc. 4. frigidor. utiliter adhibentur. Forestus in hoc affectu cataplasma pectini applicandum l. 25. obs. 8. descriptum magnopere commendat.

CAPUT XVI.

DISPUTATIO IX. Christianus Nitzschke Forstâ Lusatus Respondens.

§. 1. Post nutritionis organa eas consideraturi sumus partes, qvibus speciei immortalitatem individuis â naturâ singulis negatam, obtinemus: qvæ cum pro diversitate sexus differant, viriles præmittimus, subjuncturi his muliebres sobolis procreationi servientes; nullo objecto velamine, eâ tamen lege, ut qvisqvis ad has literas impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam, facta devitet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis.

§. 2 Partes viriles seqventes sunt vasa spermatica præparantia, venæ scilicet & arteriæ spermaticæ, Epididymides, testiculi, parastatæ variciformes, vasa deferentia, vesiculæ seminariæ, prostatæ & penis, de qvibus ordine dicendum.

§. 3. Venæ duæ sunt dextra & sinistra, illa â trunco Venæ Cavæ non procul ab emulgente exoritur; hæc verò ab ipsa emulgente. Arteriæ itidem duæ sunt, qvarum utraqve ab arteriâ aortâ ortum ducit. Majores hæ venis sunt, in progressu pluribus anastomosibus cum venis communicantes, membranâ â peritonæo junctim investiuntur, & ad testes delatæ, in substantiam eorum penetrant. Pars horum vasorum testibus propinqva, qvia in latiorem desinit basin, corporum pyramidalium nomine donata.

§. 4. Testes sive δίδυμοι glandulosæ sunt substantiæ, figuræ ovalis, numero duo, qvò unico deficiente alter alterius defectum suppleat; rarius in qvibusdam unicus vicem duorum sustinens repertus fuit, in aliis verò tres observati. Venas & arterias habent â spermaticis, nervulos â sexto cerebri pari & vigesimo primo spinalis medullæ.

§. 5. Humorem in se continent testes semini prorsus similem, vel ut Philosophus loqvitur *libr. 1. de gener. anim. c. 4.* excrementum seminale: Τοῖς δὲ ὄρνισι καὶ τοῖς ᾠοτόκοις τῶν τετραπόδων, δέχονται τὴν σπερματικὴν περίττωσιν ὥστε βραδυτέραν εἶναι τὴν ἔξοδον ἢ τοῖς ἰχθύσι. Φανερὸν δέ ἐπὶ τῶν ὀρνίθων· περὶ γὰρ τὰς ὀχείας πολὺ μείζοις ἔχουσι τοὺς ὄρχεις ὅσα τῶν ὀρνίθων καθ' ὥραν μίαν ὀχεύει. ὅταν δὲ ὁ χρόνος οὗτος παρέλθῃ, οὕτω σμικροὺς ἔχουσιν, ὥστε σχεδὸν ἀδήλους εἶναι· περὶ δὲ τὴν ὀχείαν σφόδρα μεγάλους. *Avium verò & quadrupedum oviparorum testes, excrementum recipiunt genitale, itaq; tardius iis, quam piscibus semen prodit. Patet hoc in avium genere, cum tempore coitus testes multò habent grandiores, quæ certo tempore coëunt. At ubi id tempus præterierit, adeo exiguos habent, ut incertum ferè an habeant, sit: cum tamen eo tempore, qvo coëunt, gerant prægrandes.* Nos qvod Philosophus de avibus & qvadrupedibus oviparis pronunciat, etiam de reliqvo animalium genere, imo de ipso homine, verum esse existimamus, non solum opinione, & testimonio aliorum, sed propria oculari inspectione ad id adducti.

§. 6. Integumenta testium vel communia sunt vel propria; Communia sunt scrotum instar sacculi foràs propendens, molle & rugosum, constans cuticulá & cute, linea per medium ejus discurrente, qvæ ab aliis sutura dicitur, pars panniculi carnosi. Propria sunt: 1. ἐλυτροειδὲς sive vaginale, qvod musculum sibi implantatum ab osse pubis ortum, qvi cremaster sive suspensorius dicitur, habet. 2. ἐρυθροειδὲς rubrum fibris carnosis priori subjunctum. & 3. albugineum & nerveum proximè & immediate testiculum cingens.

§. 7. Imponuntur testibus corpora substantiæ & simili-

militudinis ratione geminum testem mentientia, qvæ & inde nomen sortita videntur parastatarum & ἐπιδιδυμίδων qvasi testes sint adpositis. adstantes glandulæ. Junguntur hæc corpora testibus ipsis per plurimas fibras meatusq;, qvi deprehenduntur circa utrumq; testium extremum; intermedio verò spatio, sine connexione incumbere videntur, ut testatur *Veslingius Syntagm. Anat. c.6.* A parastatis progrediuntur vasa deferentia, qvorum principia corpora variciformia dicuntur, qvæ ubi dilatari incipiunt in cellulas sibi continuas, vesiculas constituunt seminarias, semen à testibus huc advectum continentes & reservantes ad futuros usus.

§. 8 Constitutis his utrinq; cellulis vasa deferentia unita, unum formant meatum vel ductum, qvi in prostatas ad radicem penis supra sphincterem vesicæ sitos desinit. Sunt verò prostatæ corpora glandulosa duriuscula, juglandis magnitudine, cujus & figuram ferè referunt. Parte una capsulis seminariis, altera urethræ contermina sunt, in qvam poris qvibusdam sive ductibus minutis, carunculâ, valvulæ instar obductis, patent.

§. 9. Urethra canalis tùm urinæ tùm semini excernendo dicatus, cum duobus corporibus nervosis, & glande his præposita, penem sive membrum virile constituit. Membranis constat duabus interiori qvæ tenuior & exqvisiti sensus est, & exteriori, qvæ robustior. Musculos duos habet graciliores à musculo sphinctere intestini recti, qvi ad medium canalis terminantur.

§. 10. Corpora nervosa peculiari constant substantia, in iis qvi nondum venere usi sunt internè albicant, in aliis autem nigricanti sangvine referta cernuntur; ab inferi-

feriori ossium coxendicis margine originem ducunt: musculis qvoq; gaudent geminis, qvi prioribus paulò robustiores & breviores à coxendicis appendice exoriuntur.

§. 11. Glans caro mollis & sensilis est, anterius subrotunda, tenuissimâ membranulâ tecta, circuloq; carneo posterius tanqvam coronâ cincta. Communium integumentorum portio, qvâ vestitur, præputium dicitur, qvod à Judæis & Turcis resecatur, ob qvam causam Recutiti & Apellæ dicuntur. Vinculum qvo inferiori sede præputium glandi alligatur, frenum ab aliis dicitur.

§. 12. Officium & usus harum partium est, ut earum ope sangvis arteriosus in perfectum & generandæ soboli aptum semen elaboretur, & in *συνουσίᾳ* in locum naturæ convenientem emittatur; ob qvam causam natura in animalibus perfectioribus majorem qvoq; harum partium apparatum condere voluit, cum imperfectioribus, ut serpentibus & piscibus, meatus soli sufficiant seminales. Neqve inelegans hujus rei ratio est, qvam affert *Philos. lib. de general. anim.* 1. c. 4. per plures nimirum partes, pluresve anfractus materiam seminalem duci oportuisse, ut nimia hâc ratione in venerem propensio refrenaretur. Qvemadmodum enim animalia, qvæ intestina non circumgyrata variè sed recta habent, voraciora sunt, sic & ea animalia, qvæ meatus tantum habent seminales propensiora in libidinem; castiora verò qvibus via contingit anfractuosior. Ad hanc rem testes naturam emolitam esse vult Philosophus: scilicet πρὸς τὴν τοῦ σπερματικοῦ περιττώματος στασιμωτέραν κίνησιν, sive ut tardior seminis esset motus; Non enim simpliciter testes ad generationem necessarios esse vult; cùm animalia sint, qvæ testi-

testibus carent, attamen generant. Sed τοῦ βελτίονος τινος χάριν datos esse dicit, scilicet ut ἡσυχιμώτερος seminis esset motus, ne libido vehemens crebraq; excitaretur.

§. 13. Ne autem aliorum opinionem de harum partium usu recensendo, prolixiores qvam compendii ratio admittit simus, breviter mentem nostram super hac re ita explicamus: sangvis per arterias in testes delatus (superfluum ejusdem venis revehentibus) ubi coctionem debitam sustinuit, per meatus circa utrumq; testium extremum in Epididymides & hinc in corpora variciformia; ab his vicissim per vasa deferentia in vesiculas seminales defertur, in qvibus per aliqvod tempus asservatur, & ubi usus postulat per medios prostatas in urethram tendit & excernitur; Hoc iter dum materia seminalis conficit, singulæ partes, qvas permeat suam ad ejusdem perfectionem symbolam conferunt, præprimis testiculi, qvi ob copiam nervorum spiritibus præ reliqvis abundant.

§. 15. Dubitant autem nonnulli utrum seminis materia testes ingrediatur, derogantes hinc testibus seminis elaborandi facultatem. At cùm arteriæ in testium substantiam penetrent, & per eas materia in semen elaboranda deducatur, humor etiam non serosus, sed oleaginosus è dissectis testibus exprimatur, ut sensus qvemvis docere valet, non videmus cur munus in juvanda seminis coctione testibus denegandum sit; Huc accedit testimonium *Highmori Anatomici Oxoniensis*, cujus diligentiâ ductus seu meatus seminalis intra testium substantiam inventus & delineatus est. *libr. disqvisit. anat. 1. part. 4. c. 2.*

CAPUT XVII.

§. 1 Finis harum partium vel planè non, vel non æqȝ commodè obtinetur, ubi eædem affectu qvodam præternaturali laborant, qvales ſunt præter inflammationem, ſcirrhum, vulnera, ulcera; hernia ſcroti, impotentia ad venerem, priapiſmus, ſatyriaſis & Gonorrhœa.

§. 2. Hernia ſcroti vel à flatu eſt & πνευματοκήλη, vel ab aqva & ὑδροκήλη,, vel à carne & σαρκοκήλη, vel à vaſis vari cum modo à ſangvine melancholico diſtentis & κιρσοκήλη dicitur.

§. 3. Prima ſpecies nimia diſtenſione ſine ponderis gravitatisq; ſenſu cognoſcitur, & ab humore in flatus elevari apto orta, haud difficulter ſolo interdum fotu carminativo tollitur.

§. 4. Secunda ſpecies ὑδροκήλη cum pondere eſt, & fluctuatione humoris, factâ digitis compreſſione, à priori diſtingvitur. Si aqva intra Erythroidem continetur, teſticulus viſui & tactui non occurrit, ſcrotumq; rugoſum & parumper ſaltem tenſum apparet; at ubi extra Erythroidem aqva collecta eſt, ſcrotum magis lucidum tenſumq; cernitur, teſtisq; tactui obvius eſt. Ut ſedem propriè affectam eò melius cognoſcas, ægro in menſa ſupino jacente candelam ab altero latere ſcroti admovere convenit. Derivatur ad teſtes humor ſeroſus, vel ex abdomine culpâ aliarum partium genitus, ut in hydropicis; vel in ipſo teſticulo à ſangvine ſeparatus colligitur & ſubſiſtit. Affectis etiam renibus præſertim ſiniſtro, ſangvis ſeroſior redditus malo originem præbet. Interdum à cauſa externa, compreſſione, contuſi-

one vel percussione vitium hoc oritur, & tunc faciliuscuratur, si humor præprimis extra Erythroidem existat. Si hidrops adsit, curatio qvæ hydropicis convenit adhibenda est: sin minus, præmissa evacuatione discutientia scroto admovenda, à qvibus si humor non resolvatur per insensibilem transpirationem, sectio scroti instituenda est, cujus modum describit *Celsus lib. 7. c. 19.*

§. 5. Κιρσοκήλη & σαρκοκήλη difficilius curantur, illa propter melancholici humoris pertinaciam, qvæ tamen aliqvando exiccantibus & discutientibus medicamentis cedit; hæc propter materiam ad discutiendum ineptam; raro etenim medicamentis carnis molem absumentibus tollitur, sed plerumqve manum Chirurgi cum ablatione testis alterutrius reqvirit. Tumoris, hac ultima herniæ species, duritie, & majori pondere, à prioribus discernitur; cautio tamen diligens adhibenda, ne qvivis alii Scroti tumores σαρκοκήλην mentientes pro eadem habeantur: & hinc anteqvam ad sectionem deveniatur, alia medicamenta prius tentare præstat.

§. 6. Impotentia ad Venerem vel à defectu seminis ejusdemq; paucitate & aqvositate vitio partium seminalium materiam pro semine non subministrantium, vel ob frigidam intemperiem non elaborantium, ortum habet. Curatur iis, qvæ bene nutriunt & calefaciunt, ut sunt amygd. dulc. nuc. pineæ, castaneæ, dactyli, testes gallorum, radix satyrionis, sem. erucæ, Zingiber & alia aromata. Vel eadem impotentia oritur à læsa erectione penis, ob spirituum in corpora penis nervosa impeditum influxum, viis à pituitoso humore obstructis, vel corporibus ipsis nervosis frigida

gida intemperie laborantibus. Præter ea qvæ acrimonia & caliditate pituitæ frigiditatem & lentorem corrigunt, inunctiones ex oleis calefacientibus additis euphorbio, & qvæ alias paralysi conveniunt, hoc in affectu locum habent.

§. 7. Priapismus à Priapo hortorum agrorumqve apud gentiles præfecto, pene erecto semper picto, nomen habet, contrarium priori est vitium; iis enim, qvi hoc affectu laborant, membrum genitale continuò tensum manet, citra veneris appetentiam. Causa hujus affectus flatus nervosis corporibus inclusus est. Satyriasis à satyris libidinosis & lascivis sic dicitur, penis tensione qvidem cum priori convenit, at hoc ipso secundum alios differt, qvod sit cum membri palpitatione & ad libidinem propensione, à cujus exercitio ex parte tentigo sedatur. Oritur à spiritu flatibus permixto, qvi penem non solùm secundum omnes partes extendit, sed & propter viam flatibus impeditam, cum ritè moveri neqveat, à flatibus se expedire volens, palpitationis autor evadit. Prior affectus medicamenta discutientia temperata reqvirit, cavendo à refrigerantibus, ne materia figatur. In hoc tutius epithemata refrigerantia & parti affectæ & lumbis apponuntur cum imminutione sangvinis. In utroq; fugiendi sunt omninò cibi flatulenti & victus etiam consveti pars qvædam subtrahenda.

§. 8. Gonorrhœa sive nimia seminis profusio sine venere, sine nocturnis imaginationibus, ut eam definit *Celsus l. 4. c. 21.* vel seminis vitio accidit, qvando illud acre, nimium calidum, virulentum aut copiosum expultricem irritat, aut tenue & aqvosum tenuitate retentricem fallit: vel culpâ partium, qvibus contineri debebat, evenit; qvando

hæ

hæ nimium relaxatæ, spontè semen elabi permittunt; erosâ præsertim carunculâ prostatis obductâ.

§. 9. Curatio ratione causarum variat: seminis acrimoniæ & caliditati refrigerantia, tenuitati ejusdem incrassantia, & virulentiæ ab impura utplurimum venere, ea, qvæ in lue venerea locum habent, opponenda. Viarum laxitati adstringentia conveniunt, eadem verò si materia qvæ fluit, sit impurior, non nisi præmissis evacuantibus sunt adhibenda; huic scopo Rhabarb. parùm tostum inseruit: plura qvi de partium genitalium affectibus eorumq; curatione scire desiderat, *Foresti lib. 26. & 27. observ.* adeat.

CAPUT XVIII.

§. 1. Qvamvis temperie, mollitie, colore, ingenii acumine & aliis in corpore apparentibus signis fœmina â mare differat, potissima tamen differentia hæc est, qvod mas in alio generans at mulier in se ipsa, diversâ genitalium partium structura gaudere debuerunt, ita tamen, ut qvædam simul intercederet similitudo.

§. 2. Partes mulierum genitales seqventes sunt; venæ & arteriæ spermaticæ, testes, vasa deferentia, tuba uteri Fallopiana, vesiculæ seminales, ligamenta uteri qvatuor, uterus ipse, membrana qvæ hymen dicitur, carunculæ myrtiformes, nymphæ, Clitoris, & labia pudendi.

§. 3. Venæ & arteriæ spermaticæ, æqvalem cum virilibus exortum habent, at non æqvalem progressum, siqvidem non solum breviori feruntur via, sed & in itinere ramos mittunt ad uterum, reliqva parte tendente ad testes, qvi intra abdomen positi ligamento uteri lato comprehensi, minores & minus rotundi virilibus sunt, & è pluribus qvasi vesiculis constant: sangvinem hi sibi transmissum in seminalem mutant humorem, eundemq; per vasa ejaculantia, ab inferi-

ori testiumsede orta, partim in fundum uteri, partim in cervicem ejus bifido mittunt ramulo. Anfractuosior horum vasorum ductus est, qvò viâ longiori moto semine, voluptas major fœminis exindè contingeret.

§. 4. Tuba uteri, rotundum, durum, ac nervosum vasculum est, (ut idem describit Riolanus,) uteri lateribus affixum & corpori membranoso rubicundo, qvod è superna & laterali fundi uterini parte dependet, cellulasq; seminales constituit, inclusum. Tubam uteri, prior Riolano Fallopius hoc vasculum in observationibus suis nominavit. Ruffus Ephesius hanc partem prostatam varicosum appellat.

§. 6. Uterus membranosâ & carnosâ constat substantiâ. Dividitur in fundum & cervicem. Fundum rotundæ est figuræ & cervicem simul habet propriam, ut hinc assimidetur cucurbitæ; in cervice hac uteri orificium internum positum est, qvod catuli ori assimilatur. Orificium hoc internum excipit cervix longior sive vagina uteri, intus rugosa, & in medio transversam habens membranulam perforatam qvæ hymen ab aliis dicitur, claustrum etiam virginale, certum, in qvibus adest, virginitatis indicium; post hymenem in vagina reperiuntur carunculæ, qvæ figurâ myrti baccas referunt, & partim ad vesicæ partim ad cervicis uteri occlusionem faciunt. Pinæus easdem mediis membranulis junctas vicem hymenis sustinere vult: numero qvatuor sunt, qvarum una tribuitur cervici vesicæ, reliqvæ verò utero. Ligamenta Uterus qvatuor habet, duo superiora & latiora, qvæ ambitu suo vasa ejaculantia ipsosq; testes complectuntur, duo verò inferiora similiter à fundo uteri prodeuntia rotunda sunt & prope clitoridem in panniculum carnosum desinunt; qvemadmodum superiora in os ilium implantantur. Nymphæ vel alæ partes videntur esse reduplicatæ labiorum externorum, clitoridi apponuntur, & instar præputii

super-

superna parte eam ambiunt. Vasa uteri sunt partim rami à spermaticis orti, partim venæ & arteriæ ab hypogastricis. Situs uteri notissimus est, inter vesicam nimirum & intestinum rectum qvo loco etiam anterius collum uteri vesicæ & inferius intestino recto connectitur.

§. 6. Usus uteri præcipuè fundi ipsius est, ut semen virile recipiat atq; recondat. Utrum verò semen virile solùm activi principii rationem habeat; aut muliebre, tanqvam causa socia, eidem jungendum sit? Autores multum disputant. Nos persvasi omninò sumus unicum rectiùs poni principium activum & viciſſim unicum paſſivum: Illud semen virile est, cui virtus πλαστική inest; hoc verò sangvis maternus & semen muliebre. Absurdum enim hoc ex adversariorum opinione nascitur, duas scilicet animas vegetativas ad formationem & constitutionem unius suppositi concurrere: neq; eluit hoc dubium Riolanus Vir alioqvin in Anatomicis magni nominis, dum in generatione fœmellæ semen virile à muliebri superari, eidemq; instar materiæ subjici vult: Contrario verò rem se habere in generatione masculi, in qva semen muliebre tanqvam materia virili submittitur. Hàc enim ratione fieret, ut fœmina, qvæ & causam efficientem & materiam, sive principium activum & paſſivum in se continet, citra commixtionem cum viro, virile semen planè non recipiendo, generaret in se ipsa: qvod tamen impoſſibile & absurdum esse ducimus.

§. 7. Supersunt adhuc partes prægnantium propriæ membranæ scilicet fœtum involventes, & vasa umbilicalia, cum placenta uterina. Membranæ fœtum involventes duæ sunt, qvarum ea, qvæ proximè fœtum ambit ἄμνιος dicitur, ab aliis indusium, charta virginea, ob mollitiem tenuitatem & lævitatem, qvæ in fœtu humano continet humorem in parturientibus ruptâ eâdem exilientem. Hanc proximè ambit

bit secunda membrana, qvæ dicitur Χώριον; hæc paulo robustior pluribus venis & arteriis conspersa cernitur, adjacentem habens placentam, aliis epar uterinum, massam informem è plurimarum arteriarum & venarum contextu, affuso simul sangvine concreto, constantem. Tertia tunica ἀλλαντοειδὴς vel farciminalis, solùm datur in animalibus brutis, secus qvàm existimat *Spigelius*.

§. 8. Vasa umbilicalia qvæ funiculum constituunt dum torqventur, & communi membranâ investiuntur, ortum ducunt ab epate uterino & umbilicum infantis formant; sunt verò; vena, qvæ amplior est arteriâ, Urachus, & duæ arteriæ; Vena inseritur in epar Embryonis circa fissuram ejus, arteriæ in Iliacas, & Urachus in fundum vesicæ, qvæ vasa omnia in adultis degenerant in ligamenta.

CAPUT XIX.

§. 1. Cum nulla ferè corporis pars sit, qvæ non per consensum, fomite in genitalium locis latitante, affici qveat, & hinc tanta malorum tàm animales qvàm vitales & naturales actiones turbantium oriatur congeries, qvantam contractior operis nostri forma minimè capit, qvosdam saltem affectus examini subjiciemus: præsertim cum aliorum diagnosis curandiq; ratio, partim è dictis, partim è dicendis, dum de reliqvarum partium ægritudinibus agemus, unicuiq; cui vel parum medicæ ἀσκήσεως suppetit, innotescere qveant.

§. 2. Impediunt uteri actionem præter intemperiem, ulcera, vulnera, tumores, inflammationem, scirrhum, clausura uteri, fundi procidentia, clitoridis nimia excrescentia, vasorum angustiam ensium suppressio, eorundem decoloratio, fluor muliebris, morbus virgineus vel febris pallida, Gonorrhæa. Accidunt etiam fœminis qvandoq; furor ex utero, melancholia, suffocatio sive strangulatus ab utero, aliis histerica passio, & qvæ alia sunt circa conceptionem & graviditatis tempora symptomata.

§. 3. Clausurâ uteri qvæ laborant fœminæ ἀτρέτοι sive imperforatæ dicuntur, & non solum ad συνουσίαν ineptæ sunt, sed & intercepto mensium, interdum urinæ qvoq; profluvio, maximis subjiciuntur malis: malum hoc vel â tali nascendi sorte, obductâ vel membranosa aut carnosa substantia cavitati uteri; vel jam natis supervenit, quando latera cervicis uteri â præcedente vulnere vel ulcere coalescunt: aut luxurians caro, tumorve scirrhosus meatum occludit. Hæc ultima species cognoscitur, ubi morbi uteri, ut sunt ulcera, vulnera, tumoresq; præcesserunt: prior vero qvando nihil horum fœmina perpessa est

§. 4. Curatio difficilior existit, si malum non sit adventitium, sed connatum; ratione loci verò, si mali sedes sit in interiore uteri parte. Perficitur eadem, si vitium sit connatum sectione â perito instituta Chirurgo; facilè enim cervix vesicæ læditur, unde gravissima suboriri solent symptomata: post sectionem turunda immittenda, qvæ sit suppurante qvodam medicamento imbuta, vulnusq; de inceps cicatrice obducendum, indito instrumento argenteo vel plumbeo foraminulis pervio, ne partes vicissim coalescant. Secanti verò præsto esse debet pulvis adstringens è thure, bolo armena, sangvine draconis, terra sigillata, & pilis leporinis minutissimè incisis compositus; vel alius majoris apparatus ab *Hildano libr. de gangrana & spacelo c. 19.* descriptus: qvia vulnera cervicis uteri magna interdum excipere solet hæmorrhagia, qvalem in puella qvoq; observavit idem *Fabr. Hildan. cent. 6. observ. 47.* Si à præcedente ulcere coalitus exortus est, ulcus à Chirurgo renovandum. Si tumor adest durus, pessi, injectiones, lotiones, balnea ex emollientibus parata adhiberi debent.

§. 5. Procidentia uteri, qvæ ab aliis prolapsus, descensus & exitus uteri dicitur, accidit, qvando vel fundum ejus relaxatis aut ruptis ligamentis in cervicem procumbit, ibidemq; instar tumoris ovi forma, pondere suo molestus est, cum suppressione urinæ & excrementorum alvi, doloreq; vicinarum partium; vel totus inversâ interiori membrana foras prolabitur. Causæ relaxatorum vel ruptorum etiam vinculorum sunt: humiditates copiosè affluentes, in partu nimius conatus, violenta secundinarum extractio, corporis ut & animi vehementiores commotiones, ictus, casus & qvæcunq; tandem continuitatem ligamentorum solvere apta sunt.

§. 6. Curatio in senioribus difficilior, in puerperis, Febri, con-

convulsione aliisq; gravioribus symptomatibus supervenientibus, vel etiam ruptis omnino ligamentis nulla. In qvibus spes sanitatis recuperandæ superest, neq; gangrænosa, totalisq; corruptio ferrum ignemq; reqvirit, repositio in locum debitum instituenda, inflammatio verò, siqva est, tumorve durus debitis ante remediis amovenda, insperso pulvere adstringente, cujus & in victu imperandus usus: Ut commode & reduci & in loco suo servari qveat uterus, confert vias crassioribus præcipuè dicatas excrementis ante repositionem clystere qvodam evacuare, tenuemq; injungere diætam, ne deinceps facta intumescentia partium vicinarum uterus relabatur.

§. 7. Clitoris qvi peni virorum assimilatur, nimium excrescit, qvando humores alimentares nimia copia ad hanc partem affluunt, qvem affluxum promovent freqventes hujus partis frictiones & contrectationes. In curatione igitur sangvis imminuendus & revellendus; parti discutientia & repellentia admovenda, qvibus caustica leniora carnem absumentia succedere debent: & si his vitium non curetur, pars auferenda ligaturâ vel sectione. Affine huic vitium est cauda, carnosa qvædam ab orificio pudendi enata substantia, qvæ eadem ratione tollitur.

§. 8. Vasorum angustia ut plurimum contingit humore crasso pituitoso, vel alterius generis viam intercipiente, à qvo sangvis instante menstruorum purgatione vel omnino à fluxu impeditur, unde mensium suppressio, vel guttulatim saltem profluit, & stillicidii nomine venit. Prosunt hîc præter universales purgationes acria & amara humores crassos attenuandi, & incidendi vi prædita; qvalia à River. lib. 9. Pract. c. 2. describuntur.

§. 9. Interdum nimiâ copiâ menses fluunt sangvine vel copia vel acrimonia oscula vasorum nimium aperiente, & tunc contraria prioribus remedia incrassantia scilicet & adstringentia & in plethoricis V. S. locum habent. Aliqvando menses alienis infecti fluunt coloribus, vitiosi ubi humores utpote biliosi, melancholici vel Pituitosi sangvini admiscentur: qvi debitis extra mensium tempus evacuandi remediis, partiumq; humores tales suppeditantium vitium corrigendum.

§. 10. Discrepat à decoloratione mensium fluor muliebris, qvia nullam observat periodum, ab aliis fluxus albus dicitur, qvia sæpissimè humor qvi fluit albus & pituitosus est tenuitate & aqvositate à se-

à semine differens; interdum etiam alterius coloris ab aliis partibus ad uterum transmissus, ut vult *Galen. lib. 6. de loc. affect. c. 5. verba* hæc sunt: *Accidit interdum fæminis muliebre profluvium vel utero haud qvaqvam affecto; cum videlicet universum corpus per ipsum expurgatur evacuaturq́ʒ, qvemadmodum interdum per renes qvoqʒ evacuatur; id verò potissimum fit, si mulieres laxis sint carnibus & pituitosæ: qvas etiam intacto utero sed universo corpori adhibitis remediis sanavimus.* Partibus igitur laborantibus aliis pro ratione humoris fluentis fontemq́; designantis, præprimis ventriculo succurrendum; ne crudo pituitosoq́; humore venis commisso, partes reliqvæ laudabili defraudatæ alimento ad atrophiam deducantur, totumq́; corpus ad uterum vitiosos succos deponere assvescat, à qvibus debilitato utero sterilitas inseqvitur.

§. 11. Febris alba, amatoria, sive morbus virgineus è pallido faciei colore facile cognoscitur, à crudis succis pituitosis utplurimum cum sangvine ad partes alendas delatis ortum ducit; qvi magis magisq́; cumulantur, venis non solùm uteri, sed & lienis, hepatis & mesenterii ab esu cretæ, carbonum, testarum, vel aliarum rerum crudum & pituitosum succum gignentium obstructis. Inclinant qvædam naturâ ad hunc affectum, qvæ scilicet exiles & angustas nimium habent venas, sangvini crassitie parumper excedenti transitum denegantes. Remediis menses moventibus his subvenitur, aliis verò præter uterum partibus, aperientibus & deobstruentibus, purgatis ante primis viis, succurritur.

§. 12. In Gonorrhæa muliebri, qvæ à reliqvis fluxionibus humoris fluentis specie, nullo præcedente ulcere, facilè discernitur, eadem qvæ in gonorrhæa virili locum habent. Ad caput itaq́; 17. brevitatis maximè studiosi lectorem remittimus.

§. 13. Furor uterinus, immodica & effrenis Veneris appetentia est, à semine acri calido & copioso, calidaq; partium genitalium temperie proveniens. Causæ procatarcticæ sunt otium, cogitationes venereæ, sermones de rebus impudicis, cibi calidi & flatulenti, lascivæq́; conversationes. Signa sunt garrulitas, animus inqvietus, colloqvia impudica, & maxima ex iis percepta delectatio, insolita sexui muliebri audacia, lascivientes sublimesq́; & incompositi oculi. His convenit sangvinem mittere, victum frugalem & diætam refrigerantem præscribere, humores calidos evacuare, causasq; procatarcticas removere.

§. 14.

§. 14. Melancholia virginum aut viduarum, alienatio qvædam mentis est sine febri, cum tristitia, anxietate, dolore sinistri lateris è regione cordis, arteriarum pulsu vehementiori circa lienem, & in dorso, fletus risusq; alternatione. Causa est sangvis propter venarum uteri obstructionem incrassatus, pancreas & lienem simul afficiens: & hinc arteriarum vehementior pulsatio, qvâ natura obstacula sangvinis motui posita removere conatur; spirituum obnubilatio, mentisq; perturbatio, & qvæ alias splenetìcis & Hypochondriacis familiaria sunt symptomata. Curatur hic affectus ratione uteri menses moventibus; respectu lienis verò melancholiam præparantibus, & evacuantibus, qvibus jungenda cor exhilarantia, ut Confect. alkerm. Spec. lætific. Galen. & alia.

§. 15. Suffocatio uterina sive histerica passio itemq; strangulatus ab utero, à symptomate læsæ respirationis, ob qvod strangulari seu suffocari videntur sic dicitur; cum tamen qvoad symptomatum congeriem revera sit πολυμορφότατ@ & modo animales modo naturales oppugnet actiones; adeò interdum ut pro mortuis nonnullæ histericæ fuerint habitæ. Signa imminentis sunt faciei pallor, tristis aspectus, ad motum segnities, nausea, cibi fastidium, corporis refrigeratio: præsentis verò, vocis interceptio, respirationis læsio, vertigo, delirium, clamor, morsus ventriculi, sensus motusq; Privatio; qvorum pleraq; in aliis adsunt & vehementius ægrotam affligunt: in aliis verò qvædam saltem, ut levis animi defectio, cum læsa ex parte respiratione: In declinatione paroxysmi malæ rubere incipiunt, sensuum & intellectus actiones redintegrantur, oculi aperiuntur, à locis genetalibus humor qvidam exit, & post suspiria ex imo pectore ducta, respirationis qvoq; cessat difficultas. Causa hujus affectus vapor ex sangvine & semine corrupto ad cerebrum partesq; pectoris elevatus est. Curatio tempore paroxysmi peragitur suffumigiis è plumis perdicum, setis & aliis rebus malè olentibus paratis, naribus castoreum admovetur interneq; ejusdem extractum vel oleum succini albi cum conveniente vehiculo propinatur, pudendis svaveolentia applicantur & ligaturæ circa umbilicum, ut & inferioribus partibus instituuntur. Extra paroxysmum humores vitiosi evacuandi, mensium fluxus promovendus, & uterus per appropriata confortantia corroborandus. De reliqvis uteri affectibus consule Mercatum, Rodericum à Castro, Primerosium & alios practicos.

MEMBRUM III.

MEMBRUM III.

CAPUT I.

Disputatio X. Respondente *IOHANNE BEHMIO* R. B.

§. 1. De abdominis partibus earumq; affectibus præcedenti egimus membro, sequuntur sectionis ordine partes thoracis. Thoracis vocabulo non in latiori ut apud *Hippocrat.* & Philosoph. occurrit, & à nobis p. 36. §. 4. notatum, sed strictiori cum *Galeno* & sequentium seculorum Medicis significatione utimur: Intelligendo id, quod supernè claviculis infernè diaphragmate terminatur, medio verò spatio sterno, musculis intercostabilibus, costis earumq; vertebris circumscribitur.

§. 2. Latiorem & ampliorem thoracem homini præ reliquis animalibus natura dedit; non solùm, quia id commodè fieri poterat (latitudo enim pectoris cruribus nimium disterminatis in brutis ingressum impediret de quô vide Philosoph. l. 4. de part. anim. c. 10.) sed & partium vitalium gratiâ, quæ ampliores existentes, ut spirituum copiæ producendæ pares essent, capacius etiam quo continerentur, requirebant spatium. Hinc & alii â latitudine pectoris magnanimitatis indicia desumunt.

§. 3. Partes thoracis sunt mammæ, musculi intercostales, diaphragma, costæ, pleura, sternum, mediastinum, scapulæ, vertebræ, claviculæ & quæ his continentur, cor cum suo pericardio & vasis, pulmo, arteriæ asperæ atq; gulæ portio & thymus.

§. 4. Mammæ vel mammillæ in medio pectore sitæ, contextæ sunt e carne glandulosa, pinguedine & membranis. Caro glandulosa plurimas venas & arteriolás â ramis subclaviis & axillaribus (quarũ aliæ internæ aliæ externæ dicuntur)

admittit, tubulosq; lacteos ad papillam areolam diversi ratione ætatis & constitutionis coloris circumjectam habentem emittit. Nervorum quoq; à thoracis nervis tenues surculi hinc & inde dispersi apparent, & ad papillam desati tenuem & exquisitum ejusdem sensum efficiunt. Numerò mammæ duæ sunt, quamvis enim Cabrolius IV. alii tres viderint, id natura à consvetà partium formatione recedente contigit.

§. 5. Figura & magnitudo non omnibus fœminis una Quas enim natura ornatiores virisq; gratiores reddere voluit, iis leviter monticulorum instar mammæ luxuriant & ad rotunditatem vergunt, aliis verò majores & pendulæ magis sunt, quod Americanis mulieribus familiare esse dicunt, adeo ut interga easdem reflectere queant; In insula Ægypti ad Nilum Meröe vocata, mole sua infantem superare mamillas testatur *Juvenalis l. 5. Satyr. 13.*

Quis tumidum guttur miratur in alpibus? aut quis
In Meröe crasso majorem infante mamillam?
Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentem cornua cirrho?
Nempe quod hæc illis natura est omnibus una.

In puellis nondum mensium fluxum expertis vix apparent, iis autem instantibus, dum viro fiunt maturæ sensim attolluntur. In viris depressiores sunt exulante glandulosa substantia: In aliquibus effœminatis magis protuberant à subjecta pinguedine.

§. 6. Usus muliebrium mammarum est, ut in iis alimentum infanti edito in lucem solidioremq; cibum non admittenti præparetur. Hoc opus à glandulosâ præcipuè mammarum substantiâ proficiscitur, quæ sanguinem sibi per arterias communicatum alterat & in lac convertit, quod à glan-

dulis

dulis per tubulos quosdam lacteos ad papillam defertur & ab infante exugitur. Huic de materia lactis veterum opinioni tamdiu inhæremus, donec experientia anatomica de ductibus chyliferis ad mammas certiora produxerit testimonia. Viriles mammillæ σημεῖυ χάϱιν potius sunt, quàm ut insignem aliquem usum habeant.

§. 7. Variis tumoribus mammæ ut plurimum infestantur; scilicet inflammatione, Scirrho, œdemate, cancro, tumore â lacte, â flatibus. Inflammationis Scirrhiq; facies cum ex ante dictis facilè innotescat, paucis saltem reliquorum indolem indicabimus.

§. 8. Oedema tumor mollis sine dolore est, â pituitæ nimiâ in corpore copia ortus fœminis cachecticis & febre alba laborantibus familiaris. Diæta in hoc affectu calida & sicca, quæ pituitæ productionem impediat, instituenda, & cachexia corporis corrigenda, mammis verò resolventia ut Emplastrum de Meliloto, de baccis lauri; l. cataplasma ê semine lini, Anet. fœnograeci, florib. Cham. farina hordei imponenda.

§. 9. Cancer tumor rotundus durus est primo exortu fabæ vel ciceris magnitudinem referens progressu autem temporis majorem molem acquirens, cum calore, dolore, & pulsatione, coloris plumbei & nigricantis est, venasq; in circuitu atro sanguine plenas pedes cancri referentes habet. Causa ejus melancholicus adustus humor est, qui ob pertinaciam remediis difficulter admodum curatur. Dividitur cancer in occultum & non occultum occultus dicitur, qui nondum exulceratus est sive in profundioribus & abditis locis l. minus hæreat. Non occultus sive manifestus is est qui jam exulceratur, quocunq; sit loco. Occulti secundum

aphorism. Hippocrat. 38. lib. 6. curationem non admittunt, ut verba habent Hippocrat. quibus cancri occulti oriuntur eos non curari præstat: Curati namq; citò pereunt, non curati verò diutius perdurant. Quod experientia etiam comprobavit, dum plures cancris non exulceratis laborantes solà purgatione humoris melancholici per plures annos vitam traduxere: Alii verô, quibus imposita sunt topica breviori temporis spatio ad interitum deducti. Exempla petes ê Galen. Fab. Hilda. & aliis practicis. Exulcerati præmissis universalibus & legitima diæta institutâ ferrò & igne solum curantur, partes omnes morbosas à sanis separando.

§. 10. Tumor à lacte sæpe medentis manum antevertit, & sponte suâ cessat; si verò diutius perduret, ne in aliud tumorum genus degeneret frugali diæta & v. S. lactis generationem prohibendo curatur. Tumor à flatibus rarus admodum est & flatus discutientibus cedit.

CAPUT II.

§. 1. Musculi intercostales ii dicuntur, quicunq; in spatiis intercostalibus situm suum habent. Dividuntur in externos & internos, qui non solùm loco sed & contrario fibrarum ductu inter se differunt. Externi secundum costarum intervalla undecim utrinq; numerantur & fibris suis à partibus inferioribus superiorum costarum ad partes superiores inferiorum obliquê versus anteriora procedunt; interni his opponunter fibrisq; suis à qualibet inferiori costa ad superiorem obliquê ascendunt atq; priores intersecando figuram literæ X. exprimunt; numerô hi pares sunt externis, ut ita in universum musculi inter costales sint XLIV. viginti duo scilicet in utrovis latere. Numerum hunc musculorum quibus-

busdam augere placuit, & cum diversus fibrarum observetur ductus, quo loco costæ cartilaginibus annectuntur sterni, peculiares hos esse voluerunt musculos ad distinctionem eos vocantes intercartilagineos. Verum eundem numerum auctum non solum apud *Arabes*, sed & in *Galen. lib. de Musculor. dissection. c. 23.* reperire licet. Verba *Galeni* sunt: *His verò intercostalibus contrariæ sunt fibræ, quæ secundum cartilagineas costarum partes, quæ ad pectorale os sunt, habentur. Nam quæ in superficie sunt contrahunt, quæ in profundo sunt dilatant.* Numerantur hi musculi intercartilaginei secundum intervalla cartilaginum ad costas veras pertinentium utrinq; sex externi & totidem interni, qui prioribus additi faciunt LXVIII.

§. 2. Usus horum musculorum intercostalium ferè obscurus est, quia obscurus est eorum motus. Galenus citato loco exteriores musculos intercostales thoracis dilatationi, interiores verò constrictioni inservire vult. Galeni opinionem plurimi amplexi, quam tamen repudiare, quamvis se Galeno deditissimum prædicet, *Vesalius lib. 2. d. corp. hum. fabricâ c. XXXV.* sustinuit; hàc ductus ratione: Quod, quomodo musculi intercostales costas dirimere & ad invicem deducere queant, comperire non potuerit. Præterea quod situs, figura, fibræ omniaq; alia ad fabricam eorum spectantia magis hos musculos omnes costas invicem adducere, quàm laxare demonstrant. Hinc tam externos quàm internos costas invicem adducere atq; thoracem arctare concludit; haud quaquam absurdum esse existimans naturam omnes musculos intercostales ad exspirationem sive thoracis coarctationem produxisse: cum fortiori motu ad efflationem, vocem, tussim, sternutationem, excrementorum exclu-

ſionem, breviter ad thoracis conſtrictionem, quàm ad ejusdem dilatationem, inſpirationemq; egeamus.

§. 3. Hæ *Veſalii* rationes non leves eſſe videntur, quæ tamen diductà paululum Galeni opinione probabilitate ſuâ excidunt. Cognitum eſt in dilatatione thoracis fieri inſpirationem coſtasq; obliquè attolli: hoc opus muſculo inter coſtali exteriori primo ſe contrahente proximamq; coſtam adducente perficitur; ut ita poſt primi muſculi actionem muſculi omnes ſequentes coſtas ſibi proximas obliquè ſurſum trahant, & ſic inſpirationem promoveant. Contrariæ verò fibræ muſculorum intercoſtalium internorum non niſi contrarium poterunt efficere motum; cum contrariorum contrariæ ſint actiones, & hinc coſtas obliquè deorſum trahent, thoraxq; conſtringetur, quam conſtrictionem potiſſimum juvant, diaphragma, muſculus ſacrolumbus & ſerratus poſticus inferior. Nihil itaq; concludet contra Galenum prima Veſalii ratio, quà muſculos coſtas nequaquam dirimere vel à ſe propellere poſſe aſſerebat. Secundum Simpliciter invertere poſſumus argumentum: Contrarium ſcilicet in muſculis internis ſitum poſitumq́, fibrarum, contrarium inferre motum. Ad tertium non neceſſum eſſe dicimus ad conſtrictionem thoracis pro efflatione, voce, tuſſi, ſternutatione in ſubſidium vocare muſculos intercoſtales externos etiam, cum diaphragma & ſacrolumbus amplitudine & robore ſuo ad fortiorem conſtrictionis motum ſufficiant.

§. 4. Commodè muſculis intercoſtalibus ſubjungimus ſeptum transverſum, muſculus enim non ſolum eſt, ſed & communem cum internis intercoſtalibus habet uſum. Græcis dicitur diaphragma, quia διαφράττει ſeu diſtinguit medium ventrem ab infimo; alio nomine etiam φρένας latini

præ-

præcordia vocant, quia parte hâc inflammatâ compatitur cor & cerebrum unde tam mentis quàm sensuum functiones læduntur.

§. 5. Musculus hic figuræ circularis est, exceptis appendicibus, quibus vertebris lumborum annectitur, quo loco ab aliis etiam oriri dicitur. Situm habet in corpore transversum, obliquè deorsum vergendo, & peculiare hoc præ reliquis obtinuit musculis, ut media parte sit tendinosus, cui & nervi inseruntur; in circumferentia verò, quâ sterno costarumq; extremis adnascitur carnosus; cum natura in aliis contrarium observet, ut medium seu venter sit carnosus, extrema verò tendinosa. Notandum vulnera in medio esse lethalia, non solum quia plurimi offenduntur nervi, membranosaq; substantia non facilè coalescit; sed & quia pericardium & hepar huic parti adhæret. Foraminibus duobus diaphragma pervium est, quorum sinistrum stomacho, dextrum verò Venæ cavætransitum concedit: Intra appendices verò divisas, viam præbet arteriæ venæq; sine pari, quæ costarum exporrigitur spatiis, & nervis sexti paris. Venæ & arteriæ, quæ pro nutritione huic parti datæ phrenicæ dicuntur & originem suam Venæ cavæ & arteriæ magnæ debent.

§. 6. Usum diaphragmatis Arist. l. 3. de part. anim c. 10. esse vult, ut sedem cordis à ventre dirimat, quô animæ sentientis origo in offensa servetur, nec facilè occupetur exhalatione cibi, & caloris adventitii copiâ. Galen. l. 5. de usu part. c. 15. eundem agnoscit usum duos alios insuperaddens scilicet ut aliquid conferat ad excrementorum propulsionem, & tertio ut sit respirationis instrumentum; quem ultimum usum priorem & majorem aliis esse dicit. Quomodo autem respirationis sit organon thoracemq; moveat *Vesalius*

l. 2.

l. 2. de humani corporis fabrica c. 35. obſcurum eſſe dicit, neq; ſe ſatis ſcire, an quispiam verè id ſcriptum poſteris eliquerit aut etiam illud ex propoſito tradere aggreſſus ſit. Ipſius verò hæc eſt opinio: *Quantum hactenus aſſequor* (inquit) *ſeptum transverſum proprio motu oſſis pectoris inferiorem terminum, & ſpuriarum coſtarum extrema, ad ſuum caput, tanquam ad centrum intrò trahit non nihil quoq; ſurſum vellens. Cum itaq; ſeptum in ſe convellitur & ſpuriarum coſtarũ extrema quodammodo ad centrum colligit, ſolam inferiorem eandemq; anteriorem thoracis partem quam ſpuriarum coſtarum cartilagines conſtituunt, arctat; Poſteriorem verò, quæ ab harum cartilagine ad vertebras usq; habetur dilatat, ac invicem quinq; inferiores coſtas dirimit, unà cum ſexta & ſeptima thoracis coſtis quarum etiam cartilaginibus ſeptum applantatur.*

§ 7. Sed & veſalii opinio mihi quidem ſatis obſcura videtur; nondum enim percipio, quomodo ſeptum transverſum coſtarum extrema ad caput ſuum ſeu centrum intrò trahere & nonnihil ſurſum vellere, interiorẽ item thoracis partem arctare & poſteriorem dilatare coſtasq; inferiores dirimere queat? Unius cujusq; enim muſculi unica eſt actio, coitus in ſeſe ſcilicet ac contractio, ut vult *Galen. l. de uſu part. 12. c. 8.* & in *lib. Hippocrat. de articul. comm. 1.* Diaphragma omnium conſenſu unicus muſculus eſt, qui verſus centrum ſuum ſeu caput fatente veſalio trahit, & in circum ferentia partibus tam anterioribus quàm poſterioribus thoracis annectitur; neceſſum igitur erit unicam ejusdem eſſe actionem contractisq; in ſeſe fibris conſtrictionem & arctationem tam anteriorum quàm poſteriorum thorccis partium effici. Ad experientiam interim provocat Veſalius & jubet utramq; manum coſtarum notharum cartilaginibus accommoda-

modare, atq; vi attracto spiritu, qui intrò sursumq; cartilaginum extrema vellantur, sentire; deinde alterâ manu ibidem relicta alteraq; posteriori costarum regioni impositâ vicissim assumpto spiritu qualiter juxta dorsum costæ dirimantur, experiri. Verùm falsa in hoc experimento formatur hypothesis; attracto scilicet spiritu factaq; inspiratione diaphragmatis propriam actionem posse sentiri; non enim inspiratione facta diaphragma contrahitur, propriaq; ejusdem actio absolvitur sed tenditur tensumq; maximè conspicitur in suffocatis qui inspirando moriuntur. Fallitur quoq; in eo Vesalius, dum existimat adducto spiritu thoracem versus anteriora arctari & posteriora versus relaxari; Ego enim nihil aliud unquam assumpto spiritu expertus, quam thoracē inspirando sursum trahi & ad latera ampliari seu dilatari, in exspiratione constringi & inferiora versus revelli & subsidere.

§. 8. Nostra itaq; ipsâ experientiâ suffulta opinio est, diaphragma contractione sua facere ad thoracis constrictionē & exspirationem; Sequi verò motum thoracis & distendi dum inspiramus. Breviter thoracis motus sic se habet: dilatant & attollunt thoracem dum inspiramus musculus subclavius, externi intercostales, serratus major, triangularis & serratus posticus. Contrahunt eundem in exspiratione sacrolumbus intercostales interni, serratus posticus inferior & diaphragma. Juvant constrictionem thoracis in vehementi præsertim exspiratione musculi abdominis.

CAPUT III.

§. 1. Remotis musculis apertoq; thorace parte eâ quâ costæ cartilaginibus nectuntur sterno, in conspectum veni-

unt mediastinum & pleura, quorum consideratio vel propterea negligenda non est, ne nos lateat decantati & acuti affectus pleuritidis sedes; tum etiam controversæ quàm maximè illius quæstionis decisio, quâ ratione nimirum materia pleuritidis bronchiis communicari tussiendoq; ejici queat.

§. 2. Pleura latus alterutrum tam animatarum quam inanimatarum rerum designat; costas præterea etiam significat; in strictiori tamen significatione à Medicis pro membrana costas totamq; thoracis capacitatem succingente usurpatur: Incipit à vertebris dorsi & tendit ad sternum. Præter foramina ipsi cum diaphragmate communia, etiã superiori parte habet alia, pro egressu vasorum & ingressu nervorum. Principiũ alii à meningibus cerebri derivant, verùm incommodè aliud hujus membranæ erit principium verum, aliud finis, cum æq; ac peritonæũ abdominis partibus ita & pleura thoracis cavitati circumtendatur: partesq; incommodè secundum Hippocrat. aliæ ab aliis oriri dicantur, cum delineatio earum simul fiat; neq; principium materiale omnium membranarum suppeditare poterunt meninges cerebri, neq; virtus formatrix à cerebro ad partes derivatur, sed ab alia quadam parte provenit, de quo deinceps; ut hinc reliquum sit neq; ratione virtutis meninges esse principium reliquarum membranarum. Duplex hæc est membrana & crassioris quidem substantiæ circa vertebras dorsi, tenuioris verò circa sternum, ita tamen ut duplicatura ejusdem magis hoc quam illo loco sit conspicua. Usus ejusdem idem est cum eo, qui alias tribuitur peritonæo, scilicet quemadmodum illud abdominis partes continet, ita pleura thoracis partes sepit.

§. 3. Mediastinum pleuræ soboles est atq; thoracem dum à sterno recedit in duas æquales partes dirimit, parietisq; intergerini vicẽ sustinet; tenuioris substantiæ est quàm pleura interim validæ satis ac robustæ, ne in motu validiori facile rumpatur; cavitatem magis manifestam format parte anticâ, minorem verò posticâ, magnitudinem eam habet, quam thoracis amplitudo admittit. Venas habet ab intercostalibus & arterias ab arteriâ magnâ, nervos à sexto pari: Usus ejus præcipuus est, cor in situ suo continere, ne, dum erecti ambulamus, plus justò deorsum vel dum supini jacemus sursum moveatur, aut ad latera in decubitu devolvatur. Reliqui usus, nimirum distinguere lobos pulmonum ne laborante alterutro alter vitium capiat, prohibere item collisionem eorundem & qui sunt alii, secundarii saltem sunt.

CAPUT IV.

§. 1. A pleurâ nomen accepit ejusdem inflammatio & pleuritis à Græcis dicta, quæ cognoscitur à dolore lateris punctorio, febri continuâ acutâ, respiratione difficili, frequenti & parva, pulsu parvo, duro, & frequenti, tussi admodum molestâ quâ in principio nihil ut plurimum, in progressu verò sputum cruentum & alienis humoribus mixtum rejicitur.

§. 2. Causa hujus mali est sanguis calidus & acris per arterias ad loca pleuræ ruens & indebitè in iisdem subsistens, qui dum pleuræ continuitatem non solùm mole sed & acrimoniâ solvit, dolorem ob affectam menbraneam substantiam excitat acutum, febris quoq; accenditur acuta, continua, ob locum affectum cordi vicinum; eademq; typum servat tertianæ; quia sanguis in pleuram influens ut plurimum sin-

cerus non est, sed bile mixtus. Respiratio redditur difficilis, quia moto thorace dolor intenditur, eademq; frequens est, quia calor præternaturalis refrigerationem ab inspirato aëre urget. Tussis & pulsus mutatus, exinde proveniunt, quia cor & pulmones compatiuntur.

§. 3. Per quam verò viam materia pleuræ molesta ad pulmones deducatur, controversum & dubium maximè est: litem tamen hanc commodissimè dirimere nobis videtur Galenus, qui lib. 5. de locis affect. c. 3. humorem pleuriticum in thoracis cavitatem effundi & à pulmonibus per poros membranæ eos vestientis reassumi vult. Reassunptio autem hæc perficitur per oscula ramorum asperæ arteriæ semper hiantia; neq; enim eadem ob substantiæ duritiem in compressione thoracis constringi queunt, sed semper aperta manent: Hinc compresso thorace cum materiæ contentæ exitus ob loci augustiam urgeatur, necessum est eandem cum aliam viam non inveniat per medios pulmones tendere atq; per tussim ejici. Opinionem hanc probant pori in pulmonis menbranâ satis conspicui, qui & teste Walæo magnitudinem pisi majoris æquare visi sunt. Huc accedit experimentum Galeni quo aquam mulsam per vulnus thoracis injectam tussiendo rejici vidit.

§. 4. Periculosum & acutum pleuritis malum est; plures enim intra septem vel quatuordecim dies, quorum vires morbo impares perimit. Oportet igitur Medicum, uti in aliis ita & in hoc affectu attentum esse ad actiones vitales, animales & naturales tanquam indices roboris naturæ, imprimis verò sputum considerari debet; ex hoc enim propria hujus mali signa desumuntur. Brevem morbum significat sputum ab initio (tertio die) apparens, ut habet *Hippocrat.*

Sect.

Sect. I. aphor. 12. Quicunq; verò pleuritici in quatuordecim diebus superne non expurgantur, iis in empyema seu suppurationem convertitur malum. *Sect. 5. aphor. 8.* Empyici facti nisi in 40. diebus à ruptionis tempore repurgentur in tabem transeunt *Sect. 5. aphor. 15.* Sed & sputi qualitas consideranda, coctum enim sputum & mediocris ratione tenuitatis & crassitiei consistentiæ, bonum indicium; crudum verò contrarium præbet. Quæ intra quintum diem coctionem accipiunt & colorantur, meliora censentur *Hipp. Coacar. pranot.* §. 390. Sputum nigrum, flavum, spumans, virugi-nosum viscosum pravitatem indicat. *ibid.* Sputum omne dolorem non solvens malum, solvens verò bonum *text. 391.* Malum quoq; si laterali morbo diarrhæa superveniat *Sect. 6. aphor. 16.* quia & reliquas partes affici morbumq; majorem fieri indicat: eadem tamen si à naturæ motu critico noxios humores expellente fiat, indicium bonum exhibet. Quibus in morbo laterali plurimus ex sputo strepitus in pectore sonat, & vultus demissus est oculusq; aurigine suffusus & caligine obductus, in his mors expectanda est *Text 388.* Et è contrario in morbo laterali affectis dolores & alvum emolliri, sputa colorari, nullos in pectore strepitus fieri, urinam rectè procedere utile est *text. 386.*

§. 5. Dividitur pleuritis in veram, de quâ in præsenti agimus, & spuriam S. notham, quæ duplex est, vel enim ratione loci talis est humore scilicet qui dolorem facit in exterioribus musculis intercostalibus hærente: vel ratione causæ notha S. spuria dicitur, quando nimirum non humor sed flatus doloris lateralis causa est. Prior nothæ pleuritidis species aliquando conversa materia in interiorem thoracis

partem, in veram degenerat, Posterior solis flatus discutientibus medicamentis cedit.

§. 6. V. S. in curatione differenda non est; eadem enim in mali principio adhibita multis maximo fuit commodo; in quo verò latere sectio sit administranda, variè disputatur. Nos in opposito affectæ partis latere pro revulsione V. S. probamus. Eadem quippe longius ab affectâ parte humorem affluentem avertit. In pletorico verò corpore si per revulsionem sufficiens sanguinis quantitas non fuerit evacuata, pro derivatione & sanguinis diminutione etiam in affecto latere vena brachii secari poterit. Si menses recenter sunt suppressi in pede, si hæmorrhoidales obstructæ, eædem aperiri poterunt.

§. 7. V. S. excipere debet lenis purgatio ne humores noxii in primis viis hærentes sanguini communicentur malumq; augeatur. Omni verò tempore ea, quæ pectori sunt amica, sputum promovent, doloremq; leniunt, sunt exhibenda. Crebrioris in pleuritide usus sunt Syrup. Viol. jujub. Capill. ♀ præprimis papaveris Erratic. cum aquâ card. ben. aut decoct. pectoral. vel hord. propinati. Externè fomenta resolventia & dolorem lenientia conveniunt; in iis verò vitanda sunt pinguia & oleosa, quia eadem poros occludunt & transpirationem prohibent.

CAPUT V.

§. 1 Pulmones græcè πνεύμονες ab inusitato πνέυω, situm suum in pectore habent, & dividuntur in partem dextram & sinistram; Quarum utraq; in homine in duos lobos, in brutis verò in plures dirimitur. Carne constant fungosâ, laxâ & molli, quæ tamen in embryonibus aliquantulum solidior

lidior & rubicundior, quàm in adultis. Connectuntur anterius cum sterno mediante mediastino, posterius cum vertebris, & ad latera per fibrosos nexus cum pleurâ: Non tamen ab omni parte thoraci annectuntur, sed locis quibusdã à connexione prorsus liberi sunt, ut liberè moveri queant.

§. 2. Membranâ cinguntur tenuiori & porosâ, quæ non solùm tenuiori & aëreæ sortis, sed & crassiori & purulentæ materiæ transitum concedit. Cavitates constituunt triplicia vasa rami scilicet asperææ arteriæ, propagines arteriæ pulmonalis, quæ è dextro cordis oritur ventriculo, & surculi Venæ pulmonalis, quæ è sinistro cordis egreditur ventriculo. Primum vasorum genus aëri, posteriora duo sanguini vehendo dicata sunt, & hinc pulmo maximè sanguinis copiâ abundat. Nervi à sextâ conjugatione exigui tunicæ sunt intertexti, nec substantiam ingrediuntur, unde & pulmonum ulcera absq; insigni sunt dolore.

§. 3. Usus pulmonis est esse respirationis organum. Continuum enim naturæ in corde incendium, ut & calidum flumen pulmones permeans, refrigerationem urget: Hæc mediante aëre externo fit, qui ab animali attractus per asperam arteriam pulmones ingreditur, sanguinem in vasis sanguifluis contentum refrigerat, caloremq; ventilat. Hoc dum fit, pulmo distenditur ab aëre contento, atq; simul thorax ut spatium satis amplum concedat pulmoni mediantibus musculis dilatatur, quam dilatationem cum partes in tali statu permanere nequeant, excipit constrictio vel coarctatio; per quam aër inspiratus calidior jam redditus exspiratur, novusq; vicissim per inspirationem hauritur.

§. 4 Utrum hæc pulmonum actio voluntaria sit vel naturalis variè disputari solet, & pro utraq; parte argumenta

varia

varia sunt excogitata, quæ cum solutu sint difficilia mediam quibusdam ut Hoffanno, Laurentio, & aliis placuit ingredi viam, atq; respirationem ê voluntariâ & naturali mixtam appellare actionem. Nos simpliciter respirationem voluntariam actionem esse negamus. Voluntarium enim id est, ad quod nos ducit appetitus rationis particeps sive ὄρεξις λογιστική. Talis autem appetitus locum hic non habet, quia sine prævià deliberatione animalia respirant. Reliquum itaq; est hic locum habere ὄρεξιν αἰσθητικὴν sive appetitum sensitivum, qui ob calorem thoracis continuum, continuò in frigidum fertur. Sed neq; hic appetitus sensitivus locum habet, quia sine præviâ cognitione sensuali aërem ne cogitantes quidem inter respirandum haurimus, ad id ex instinctu naturæ & necessitate quadam solùm impulsi: quæ autem actiones è solo naturæ proficiscuntur instinctu naturales merito dicuntur. Præterea actiones judicantur & definiuntur â fine, finis verò respirationis est refrigerare sanguinem, qui partibus cedit in alimentum & ventilare calorem, qui finis merè naturalis est.

§. 5. Usus alter pulmonum est facere ad vocem, verùm secundarius saltem est ille, quia omnibus animalibus vox concessa non est, quibus tamen concessi sunt pulmones. Tertium usum, quem alii hunc esse volunt, ut pulmo ex hausto aëre præparet materiam spirituum, omninò rejicimus: quia 1. aër pro generatione spirituum analogus non est, sed sanguinis potius tenuior pars 2. quia nec locus in pulmonibus datur pro elaboratione materiæ hujus, nec viæ per quas materia hæc sanguini communicetur, non enim asperæ arteriæ ramuli communicant cum venis & arteriis pulmonum.

CAPUT VI.

§. 1. Afficitur pulmo ſecundum tria morborum genera, intemperie ſcilicet, morbis organicis & ſolutâ unitate. Intemperies alia ſimplex eſt, alia compoſita, alia viciſſim ſine materia, alia cum materia. Illa ſolis alterantibus contrariis thoracicis, hæc præmiſſa cura univerſali medicamentis ſimul expectorantibus curatur, morbi organici præcipui ſunt peripneumonia & phthiſis. Peripneumonia â pleuritide loco affecto diſſidet, morbi tamen ſpecie convenit; & quemadmodum pleuritis pleuræ, ſic peripneumonia pulmonis inflammatio eſt, â ſanguine ſincero, vel aliis humoribus, pituita ſcilicet a. bile inquinato, interceptis viis ſanguifluis orta. Interceptio hæc viarum fit ubi venæ vel arteriæ pulmonales ab humore quodam obſtruuntur, aut â tuberculo quodam comprimuntur, â quibus ſanguine ſubſiſtente & putreſcente febris acuta, tuſſis, reſpiratio frequens, difficilis & ſublimis (ſic dicta, quia non niſi erecto peripneumonia laborantes reſpirant pectore) proveniunt; Genarum præterea adeſt rubor â vaporibus calidis aſcendentibus: Dolor eſt gravis & profundus, non acutus ut in pleuritide, ob ſubſtantiam pulmonum minus ſenſilem.

§. 2. In hoc effectu plus periculi quam doloris adeſt; lethalis enim ut plurimum exiſtit, niſi die critico, natura ſe parte oneris aliqua levet, per hæmorrhagiam, hæmorrhoidum aut menſium confertim factam eruptionem, aut abſceſſum circa aures. Curatio inſtituitur V. S. partim ad revulſionem, partim ad compeſcendum ſanguinis æſtum. Locum etiam hic habent clyſteres lenientes, & ratione pectoris internè julebi pectorales, externè verò oleum Violac.

nymph. & alia: in potu laudatur decoctum hordei cum syrupis pectoralibus.

§. 3. Phthisis vel in genere sumitur pro quacunq; corporis extenuatione, vel in specie pro extenuatione totius corporis eâ, quæ fit ob affectos pulmones & 3. specialissimè pro ea macie corporis, quæ ulcus pulmonum sequitur, unde & phthisis definitur ab aliis, quod sit ulcus pulmonũ: à Græcis peculiari nomine φθόη dicitur. Signa hujus sunt respiratio læsa, tussis frequens, sputum cruentum & purulentum & 3. corporis extenuatio. Causa hujus affectus est omne id quod acrimonia sua substantiam pulmonis erodere & exulcerare valet: interdum tamen etiam â benigniori sanguine putrescente, rupto aliquo vase sanguifluo exoritur. Comitem habet febrim continuam, lentam & interdum tertianæ interdum aliarum febrium intermittentium typum servat; febrim hanc, nisi tempestivè curetur sequitur hectica.

§. 4. Prognosis sputum graviter olens, capillos defluentes, alvi profluvium, signa lethalia esse docet. Curatio perficitur iis, quæ ulcus abstergunt, idem consolidant, ratione febris verò humectant & refrigerant, & deniq; absumptam corporis substantiam restaurant. Inter abstergentia laudatur serum lactis; ad consolidationem commendatur â *Foresto l. 16. Observ. 58.* pulvis Haly ibidem descriptus; â chymicis præscribuntur lac sulphuris, flores ejusdem & alia. Ratione febris cordialia frigida hîc locum habent, respectu verò extenuationis, cibi boni succi, lac caprinum, præcipuè muliebre humanum conveniunt. Sed & purgantia non solum leniora verùm etiam drastica, si mali fomes cacochymia sit, hic locum merentur.

§. 5

§. 5. In vulneribus pulmonum id præcipuè agendum, ut si vas aliquod sanguineum læsum sit talia propinentur, quæ sanguinem sistunt; si verò sanguinis aliqua pars in cavitatem abdominis effluxerit, ampliandum est vulnus ad eductionem sanginis ne ibidem putrescat & gravia inducat symptomata. Reliqua ut in aliorum vulnerum curatione & conglutinatione sunt peragenda.

CAPUT VII.

§. 1. Pericardium quasi ὁ περὶ τὴν καρδίαν ὑμήν de quo *Arist. l. 3. de Hist. anim c. 13.* membrana est, in quà tanquam in capsula cor continetur: unde simul & figura ejusdem & substantia & usus intelligitur. Connectitur pericardium mediastino & in homine præcipue diaphragmatis nerveo circulo. Venas habet à phrenicis uti & arterias exiles, nervos item a recurrente sinistro, interior ejusdem superficies levis & lubrica est, exterior fibrosa & aliquantulum inæqualis. Distat in tantum à corde, quantum motus cordis requirit, continens in se humorem serosum pro faciliori cordis motu.

§ 2. Dubitarunt nonnulli de existentia hujus humoris in animalibus vivis; demortua enim, corpora satis manifeste eundem ostendunt: verum & vivorum animalium sectio & Parentis nostri Hippocratis testimonium contrarium svadent. lib. enim de Corde p. 268. expresse humoris hujus mentionem facit eumq; à pulmonibus deducit: *Cor,* inquit *figura pyramydalis coloris punicei tunica levi cingitur, in qua humor modicus qualis urina continetur, ut cor in vesicâ versari existimes;* & paulo post: *Hoc humidum cor in serum vertit pulmonis potum elambendo ebibens & assumens.* Argumentis itaq;

eorum, qui hunc humorem negant, opponimus experientiam & autoritatem Hippocratis, asserentes hunc humorem non solum revera existere, sed & alium quàm ab evaporationibus agnoscere generationis modum. Commodissima enim ad hanc rem adsunt vasa, quæ à recentioribus dicuntur lymphatica serum superfluum à partibus vehentes; Per hæc igitur vasa humor in pericardio contentus commode derivari poterit. Cum enim non omne quod sanguini inest in nutrimentum partium cedere queat, reliquum est ut id, quod superest, vel evacuetur, vel ad alium naturæ usum amandetur; Utilis autem substantia humor lymphaticus est, qui puritate suâ partibus omnino nocumento non est, humiditate interim suà partes à siccitate defendere, & frigiditate suâ calorem earundem temperare potest.

CAPUT VIII.

§. 1. Cor Græcis *καρδία* dicitur, quasi *κεαλία* à dominio & principatu, quod omnium partium facile princeps sit *Galen. l. 3. de decret. Hippocrat. & Platon.* Figura cordis pyramidalis est, ut vult *Hipp. l. de Corde*, à basi enim latiori, quo loco vasa majora excurrunt, in acutum abit mucronem Galeno *κορυφὴν ἢ πυθμένα* dictum, qui in homine ad sinistrum vergit latus, basi medium thoracis occupante locum.

§. 2. Substantia cordis carnosa est, sed compactior aliorum musculorum carne: Fibræ ejus à superiori parte orbiculatim ad mucronem tendunt, quibus se constringentibus cordis cavitates constringuntur & sanguis expellitur. Vesalius has orbiculatim cor ambientes fibras duplices facit, quarum aliæ sunt transversæ aliæ obliquæ, iisq; tertium genus addit rectarum mucronem versus basin trahentium in

ventri-

ventriculorum ad latera dilatatione: adnascitur quoq; carnosæ huic substantiæ adeps.

§. 3. Cavitates Græcis κοιλίαι (aliis thalami, specus, sinus & communi nomine ventriculi cordis) duæ sunt, quarum dextra amplior est sed brevior, sinistra verò angustior sed longior ad mucronis usq; pertingit finem, minoris tamen est capacitatis & carne constat crassiori. Dirimit has cavitates seu ventriculos interstitium itidem carnosum aliis septum vel diaphragma cordis dictum formanibus seu foveis plenum non rectis sed planè anfractuosis, ut hinc quo penetrent stylo assequi non liceat. *Galenus* pervium hoc septum esse & per id multum sanguinis ê dextro in sinistrum ventriculum transmitti affirmat *lib. 6. de usu part. c. 17.*

§. 4. Ventriculorum dexter φλεβώδης veteribus dicitur sinister verò ἀρτηριώδης, & hinc vasa quoq; dextri uno nomine venas appellarunt. Alterum scilicet vas venam cavam, quæ omnium maxima est, alterum venam arterialem; sinistri verò arterias, alterum arteriam magnam & huic propinquum, arteriam venalem. Recentiores verò cum facilè confundantur arterialis vena & arteria venalis, melioris distinctionis ergò venæ cavæ socium vas, arteriam pulmonalem à structura & usu, & vicissim ejusdem cum arteriæ magnæ originis vas venam pulmonalem vocare malunt.

§. 5. Hæc quatuor vasa naturæ humanæ fontes meritò apud Hippocratem audiunt: ab iis enim omnes in universum procedunt arteriæ & venæ, quibus mediantibus totum sanguineo rigatur flumine corpus: ne sanguinis verò in his fontibus inordinatus & naturæ damnosus fieret fluxus & refluxus, singulis vasis natura suas præfecit valvulas membraneas, non nisi naturalem sanguinis motum admittentes.

Valvulæ hæ undecim numero reperiuntur, ſex dextri, & quinq; ſiniſtri ventriculi orificiis præpoſitæ. In ſpecie venæ cavæ orificio valvulæ tres foris introvergentes ſunt appoſitæ quæ tricuſpides Græcis τριγλώχινες dicuntur, ſanguinis hæ in cor influxum admittunt, effluxum prohibent. Socia venæ cavæ arteria pulmonalis itidem tres valvulas ſigmoides dictas habet intus foras ſpectantes pro ſanguinis in pulmonem motu. Venæ pulmonali in ſiniſtro cordis ventriculo viciſſim duæ præſunt valvulæ mitrales dictæ, quia mitram epiſcopalem junctæ referunt, hæ foris introvergunt, ne ſanguis è pulmone huc advectus regurgitare queat. Arteriæ verò magnæ prioris ſociæ tres adnaſcuntur valvulæ Sigmoides vel ſemilunares, liberum ſanguini exitum concedentes at regreſſum prorſus denegantes.

§. 6. Præter dicta in cordis hiſtoria obſervandi ſunt appendices quidam circa baſin ejusdem, qui ob figuræ & ſitus ſimilitudinem quandam, non verò propter uſum auriculæ vocantur; harum dextra venæ cavæ; ſiniſtra verò pulmonali venæ adnaſcitur, & minor dextrâ eſt. Interna earum ſuperficies ventriculorum cordis ſuperficiei ſimilis eſt, externa verò in auriculæ diſtentione æqualis in conſtrictione inæqualis. Triplici ut cor fibrarum genere & circumductâ carne duriori conſtant.

§. 7. Quemadmodum maxima cordis dignitas & neceſſitas eſt, ita & prolixior ejusdem eſt uſus. Præterquā enim quod in ſacris cor ſedes dicatur animæ, ut è pluribus locis liquet, Philoſophus l. 3. de part. anim. c. 4. alterum appellat animal: ἡ καρδία, inquit οἷον ζῶόν τι πέφυκεν ἐν τοῖς ἔχουσιν, cor velut alterum animal eſt in iis, quæ cor habent. Et hoc jure quidem meritoq; aſſeritur; animal enim, inquit ibidem ſenſu

defini-

definitur, vis autem ſentiendi primo tribuitur illi quod primò ſanguine præditum: tale autem cor eſt quippe quod & origo ſanguinis ſit & primò ſanguinem habeat.

§. 8. Primò ſanguinem cor habere probatur exinde, quod caloris nativi, qui omnium naturalium operum autor eſt teſte Hippocrate, Sedes primariaria ſit in corde, vel in eo, quod cordi in primo generationis termino reſpondet. Tale quid in ovis punctum albicans, & poſt fotum gallinæ propter ſanguinem contentum rubens & ſaliens ab Harvæo appellatum eſt. Cum igitur in puncto illo ſeu veſicula (quæ circumnaſcente poſt carnoſa ſubſtantia cor perfectum evadit) ante reliquorum viſcerum formationem & motus obſervetur, & ſanguis primò appareat, neceſſum erit fateri principium motus & ſanguinis imô totius animalis rectius in corde, quam in alia aliqua parte quæri.

§. 9. Sed & fontem & originem ſanguinis cor eſſe, œconomia animalis adulti probat; quamvis enim Galenus & Medici poſteriorū ſeculorum dempto cordi ſanguificationis munere, triplicem principatum partium aſſerere & jecur ſanguinis, cor ſpirituum vitalium, caput verò animalium officinam eſſe voluerint, contrarium tamen experientia ratione firmata dilucidè ſatis oſtendit. Conſiderare autem libet non quasvis adverſariorum argutiolas, ſed præcipuum quorundam argumentum, quô tanquam fulmine ê Jovis manu emiſſo (ut loquitur Hoffmannus) ſe omnia Ariſtotelicorum propugnacula disjicere poſſe exiſtimant. Scilicet inquiunt, immediatum in corde ſanguinis ortum eſſe non poſſe quia chylus ad hepar non ad cor tendit. Verùm quamvis hæc de chyli motu ad hepar opinio firmas ſatis egerit radices in animis doctorum eradicandam tamen eam eſſe, experi-

menta hujus seculi jubent. Observatum enim est chylum non in hepar, sed per ductum thoracicum in venam subclaviam & hinc per venam cavam in dextrum cordis ventriculum tendere ibidemq; in sanguinem coqui, vicissimq; egredi per arteriam pulmonalem, & medios pulmones permeando à venæ pulmonalis ramulis recipi & in sinistrum cordis ventriculum deferri, in quo ultimam suscipit perfectionem.

§. 10 Huic immediato chyli in cor ingressui quidam ductus thoracici angustiam opponunt, existimantes per vasa quædam chylifera partem chyli ad hepar tendere, ita ut partitam operam sustineant Hepar & cor; neq; enim omnem chylum posse per tantillum ductum ad cor deferri. Verum si hi homines experientiam consuluissent, vidissent procul dubio vasa illa ad hepar tendentia non vehere chylum, sed alium prorsus humorem lymphaticum scilicet à Bartholino vocatum; & præterea motum humoris in illis vasis non esse ad hepar, sed ab hepate versus receptaculum. Considerassent etiam chyli motum fieri successivè & celeriter satis, ut chylus omnis commodè per eundem ductum ferri queat. Sed & adeò provida fuit natura in hoc negotio, ut ne copia permeantis chyli læderetur tenuior hic ductus, mox à receptaculo ramulos quosdam chyliferos ad venam sine pari destinaverit quæ chyli partem majorem cum amplæ satis sit capacitatis facillimè cordi transmittat. Ut taceam testimonium Higkmori, qui chylum in venâ sine pari vidit sanguini nondum plane commixtum, quivis ductum nostrum sequi & inflare aërem per tubulum in chyli receptaculum poterit, Videbit tunc aërem inflatum mox subire venam sine pari eandemq; propulso cor versus sanguine solo

turge-

turgeſcere aëre inflato de quo vide cap. VII. Memb. II. Cor igitur ut è dictis patet meritò ſanguinis fons & origo dicitur.

§. 11. Cum itaq; è dictis manifeſtum ſit, cor revera eſſe ſanguificationis officinam; videndum jam porrò erit, quomodo ſanguinem confectum partibus diſtribuat? commodiori autem ratione modus diſtributionis oſtendi poteſt, ſi cor principium διοικήσεως quam ſi hepar eſſe ponatur. Motu enim gaudet cor duplici, quorum alter diaſtole, alter ſyſtole vocatur; in illo cor dum ſanguinem recipit dilatatur, ſecundum latera, & mucro verſus baſin trahitur, in hoc a. elongatur. In ſpecie res ita ſe habet: Sanguis per Venam cavam in dextrum cordis ventriculum & per venam pulmonalem in ſiniſtrum delatus ibidem à calore coquente rareſcit, unde neceſſum eſt cor ſecundum latera dilatari atq; fibras orbiculares relaxari: In hoc ſtatu dum cor permanere nequit, fibræ orbiculares ante relaxatæ ſeſe conſtringunt, quâ conſtrictione cor redditur anguſtius atq; ſanguis è ſiniſtro cordis ventriculo in arteriam magnam & hinc ad quasvis corporis partes, è dextro autem ventriculo per arteriam pulmonalem in pulmones pellitur: dum autem hæc fiunt cor ſimul elongatur & mucrone ſuo pectus ferit pulſumq; in pectore efficit. Hi motus ſyſtoles & diaſtoles ſeu conſtrictionis & dilatationis ſeſe alternatim excipiunt atq; hinc & cordis & arteriarum pulſus continuus eſt.

§. 12. Talis ſanguinis motus & neceſſarius & proficuus maximè naturæ erat; quovis enim temporis momento aliquid decedit ſubſtantiæ corporis, quod reſtaurari neceſſum erat alimentari ſanguine in corde confecto & per arterias mediante pulſu ad quasvis corporis partes miſſo;

at cum non omnis sanguis à corde dispensatus in nutritione corporis partium exhauriatur, id quod reliquum erat, ne motu carens corrumperetur, per venas revehi in cor debebat, ibidemq; reiteratis vicibus cum novo simul advecto chylo coqui & perfici, præsertim cum spirituosæ & laudabiles maximè sanguinis partes in nutritione sint absumptæ.

§. 13. Non alium quàm hunc sanguinis in orbem acti & ad cor recurrentis motum esse testantur præprimis valvulæ cordis, quarum quæ orificiis venæ cavæ & venæ pulmonalis sunt præfectæ cum foris introspectent, alium sanguini motum non concedunt, quam eum de quo paulò ante dictum est. Valvulæ itidem arteriæ pulmonali & arteriæ magnæ præpositæ liberum quidem sanguini exitum concedunt, at ingressum omninò prohibent. De hoc valvularum officio ut certior fias infusa tum per vasa, tum per mucronem apertum aquâ totum negotium explorabis. Sed & valvulæ quæ in minoribus majorum vasorum ramis reperiuntur inflato per tubulum aëre sanguinem per venas quidem omnem in cor deferri, at per arterias è corde manifeste probant. Ligaturæ insuper ab Anatomicis variè in vivorum animalium sectione institutæ eundem sanguinis motum confirmant.

§. 14. Auricularum cordis, quæ venis sunt appositæ usus hic est, ut primò diverticula sint sanguinis ne cor nimia ejusdem copia obruatur & secundò ut cor ad expulsionem sanguinis irritent; dum systole sua sanguinem in se contentum in cor ingerunt, à quo fibræ cordis nimiam distentionem non ferentes eò citius ad sanguinis in arterias propulsionē insurgunt. Tertius auricularum usus est, ut aliquâ ratione sanguinem perficiant, cum substantia cordi sint similes.

§. 15.

§. 15. A dicta constitutione cordis & usu aliquantulum abit conformatio ejusdem in fœtu; quia nimirum in eo omnē sanguinem ê dextro cordis ventriculo per medios pulmones in sinistrum deferri, non necessum erat (quippe pulmones fœtu in utero existente respirationi nondum vacant) eapropter natura Venam cavam cum vena pulmonali per foramen ovale sub auriculâ dextra unire, & arteriam pulmonalem cum arteria magna mediante canali extra cor conjungere voluit, ut ex uno in alterum sanguis migrare posset ventriculum, nimirum per foramen illud ovale, quod anastomosin venarum efficit; per canalem verò ut transire queat ê pulmonali arteria in arteriam magnam, transmisso interim ad pulmonem sanguine, quantum ad nutritionem ejus solum sufficit, foramen hoc, ut & canalis in adultis oblitarantur. De reliquis circa cor occurrentibus consulantur Physiologi & præ aliis Clariss. Hoffmannus in tractatu suo de usu Thoracis.

CAPUT IX.

§. 1. Quemadmodum cor tanquam principium vitæ & fons motu suo perenni vitam ad reliquas partes omnes cum sanguine derivat, unde maximum toti animali provenit beneficium; ita maximum à læso ejus motu, animali imminet periculum. Cum autem motus lædatur, vel nimia intensione vel imminutione, duplex exinde oritur affectus, quorum prior palpitatio, Græcis παλμὸς dicitur, alter verò lipothymia vel syncope.

§. 2. Palpitatio quæ non solum tactu sed & visu interdum quoq; cognoscitur, motus cordis vehementior est & depravatus, quo cor à re sibi molestâ se liberare annititur,

molesta a. sunt ea omnia, quæcunq; diastolen nimiam cordis efficere apta sunt & hinc sanguis copiosior calidiorq; vel absq; qualitate cordi inimica, maximè verò vapores & flatus dum cor nimium distendunt, faciunt ut fibræ cordis fortiori conatu se constringant ad propellendum rem sibi molestam, unde cordis mucro vehementius pectus ferit. Ut plurimum in fœminis vitio uteri, præsertim in suppressione mensium, in viris à liene ejusmodi vapores vel flatus, vel sub propria specie, vel sub humoris forma, cordi cum sanguine transmittuntur, aut subito in istis locis latentes à causa quadam procatarctica excitantur & elevantur.

§. 3. E dictis indicationes in curatione patent: si enim sanguis copia & fervore peccat, vena aperienda, sin verò vapores aut flatus vel humores resolubiles vitio aliarum partium geniti cordi transmittantur, partes eædem purgandæ & post purgationem coroborandæ; in omni autem palpitationis specie cardiaca confortantia temperata vel calidiora habita causæ & constitutionis ægroti ratione exhibenda, neq; differenda hujus affectus curatio, ne debilitato nimio motu corde syncope succedat, atq; hinc in præsentissimum mortis periculum æger deducatur.

§. 4. Deliquium animi sive lipothymia à syncope gradu solum differt, gravior enim hæc est lipothymiâ, quemadmodum ἀσφυξία gravissimam syncopen denotat. Definitur Syncope à Galeno l. 12. de Meth. Medend. c. 5. quod sit præceps virium lapsus, qui à denegato spirituum influxu oritur. Prohibetur verò spirituum influxus ab iis, quæ motum cordis impediunt vel tollunt, quo alias & alimentum & Spiritus partibus distribuuntur.

§. 5. In-

§. 5. Intercipitur cordis motus vel ratione materiæ distribuendæ, vel ratione ipsius virtutis distribuentis, quæ cordi inest: ratione materiæ, si tantum sanguinis cordi non suppeditatur, quantum ad repletionem cordis & diastolen efficiendam requiritur, quod contingit, præcipuè in nimiis evacuationibus ut in hæmorrhagia immodica, hæmorrhoidum vel, venarum uteri nimiâ apertione, φλεβοτομία præter modum instituta, dysenteriâ, & quæ sunt alia quæ sanguinem maximè imminuere possunt; quô etiam refertur diuturnior inedia; sanguis item ad motum fit ineptus, si crudi, frigidi & pituitosi humores copiosè eidem admisceantur. Ratione virtutis verò distribuentis s. dispensantis motus intercipitur, si eadem prosternatur â rebus venenatis, flatibus frigiditate suâ nimia calorem cordis extinguentibus, vaporibus putridis eundem suffocantibus, aut sanguine nimis copiose per venas in cor delapso, cui propellendo cum virtus fibrarum impar sit, necessum est cor sanguinis copia obrui, & succumbere.

§. 6. Imminentis Syncopes signa sunt, pulsus languidus, parvus, facies pallida, caligantes oculi (quibus & viridis vel flaui coloris corpus obversari videtur) sudor frigidus: præsente verô eadem graviora sunt hæc omnia, cessat enim quoad sensum pulsus, nullusq; adest in corpore sensus vel motus. His distinguitur ab apoplexiâ, in qua actiones quidem animales cessant sed non vitales, ut respiratio & pulsus, nisi morte instante, quo tempore Syncope apoplexiam excipit. Ab uteri strangulatu differt, quod in eo respiratio auferatur ad sensum scilicet, sed non pulsus, nisi syncope cum eodem conjungatur. In prognosi sequentia attendenda sunt; (1) Syncope ea minus mala est, in qua

 exter-

externis solum remediis confortantibus æger celeriter restituitur. (2) Syncope à nativâ cordis intemperie frigida curationem non admittit. (3) quæ contingit viribus ab alio morbo prorsus debilitatis lethalis est (4) sæpius recurrens absq; causa manifesta hominem invadens mortem infert juxta *Hippocratem Sect. 2. aphor. 41.*

§. 7. In Curatione præsente paroxismo facies irroranda & tempora aquâ rosar. Carfunc. Cinnam; acetum quoq; vel vinum naribus admovendum, epithemata cordialia pectori apponenda. Internè Vinum generosum Confect. Alcerm. Diambr. Diamosch. cum aquis cordialibus exhibenda; in fœminis verò uteri suffocationibus obnoxiis abstinendum â svaveolentibus. In aliis inflammatione cujusdam partis laborantibus cavendum à cordialibus nimium calidis. Extra paroxismum æger cibis boni succi & facilis coctionis nutriendus, vino quoq; aliisq; cordialibus reficiendus, & si in parte quadam mali stabuletur fomes, ejusdem quoq; ratio est habenda.

§. 8. Ultimo antequam ad alia progressum faciamus thymi & hîc mentio facienda: Est autem thymus glandulosum corpus in confinio thoracis locatum & diremptui Venæ cavæ præpositum. In fœminis thymus mollior & crassior est, in viris aridior & minor, unde & ejusdem tumore fœminæ plus incommodi percipiunt quàm viri, ut non rarò suffocationis periculum incurrant. Quemadmodum autem hoc glandulosum corpus respirationem dum intumescit lædit; ita glandulæ in thoracis cavitate œsophago appositæ, dum tumorem patiuntur, deglutitionem liquidorum impediunt, solidiora enim glandulas comprimendo viam sibi parant: ut vult Riolan. Anthrop. l. 3. c. 14.

Coro-

Coronidis loco cum ex antè dictis constet in corde totius animalis principium esse, siquidem in se continet calidum nativum, quod omnium operum naturalium & hinc quoq; spirituum fons & origo est, quærere libet, utrum aer per respirationem attractus cor pro generatione spirituum vitalium ingrediatur, nec ne? Non paucos reperire licet, qui Hippocratem & Galenum aliosq; Medicinæ Proceres affirmativæ subscribere volunt, allegantes ex Hippocrate locum illum qui habetur lib. d. alimento: *ἀρχὴ τροφῆς πνεύματος, ῥίνες στόμα, βρόγχος, πνεύμων καὶ ἡ ἄλλη διαπνοή*, & è Galeno lib. 7. de decret. Hipp. & Platon. c. 3. hæc verba: *Spiritus igitur qui in arteriis continetur, vitalis & est, & dicitur; qui in cerebro, animalis: non quod substantia animæ sit, sed quod primum est ejus habitantis ibi instrumentum, qualiscunq; substantia postea fuerit. Sicut vitalis spiritus, & in corde gignitur, materia generationis ex inspiratione & humorum exhalatione sumpta: ita animalis ex vitali perfectius concocto oritur.* Verum si authoritatem authoritati opponere licitum, loco Hippocratis adducto alium ratione quadam firmatum anteponere jure poterimus; is autem extat lib. d. Corde pag. 268. *Aerem itaq; cum medela existat, retrò ut per eandem viam per quam adduxit, ex necessitate rejiciat oportet. Justa a. ratione retrò recurrit: neq; enim hac hominem alere possunt. Quâ enim ratione aer & aqua cruda cum sint, in hominis alimentum cedant.* Nec non Galenus fluctuanti animo de generatione spiritus vitalis ex inspirato aere loquitur, ut patetè lib. d. meth. med. 12. c. 5. Rationibus igitur & experientia hoc negotium conficere satius erit. Non autem rationum postrema est quæ allegato Hippocratis loco est adducta, aerem scil. crudum in homi-

nis

nis alimentum cedere non posse; nunquam enim natura ejusmodi facit saltum, ut è primis simplicibus, perfectissima & nobilissima immediatè producatur substantia, sed plures intermediæ requiruntur mutationes, quibus mediantibus scopum suum assequitur 2. Si ex aere inspirato generaretur spiritus vitalis, tunc in iis, in quibus nulla aeris inspiratio locum habet, ut in embryonibus & piscibus, necessum esset deficere spiritus vitalis productionem. 3. Præsente semper causa generante & spiritus producente, itemq; quovis temporis momento nova suppeditatâ materiâ, spiritus in immensum augeri necessum esset. 4. Nulla est necessitas ob quam aeris in cor ingressum admittamus, quia abunde materiam spiritibus generandis suppeditat subtilior & purior sanguinis pars, sive benignior ejusdem exhalatio. 5. Nulla datur communio ramorum asperæ arteriæ cum vasis pulmonum sanguifluis, quod anatomiæ peritis perspectum satis est, quamobrem cum nullæ dentur viæ per quas aer cor ingrediatur, etiam eundem ingredi affirmare inconsultum foret. His accedit experimentum illud quo aerem nequaquam in cor deferri alii probare satagunt; inflant nimirum magna vi pulmones, à quo tamen cor nihil quicquam intumescit; & quæ sunt alia quæ pro parte negativâ afferri solent, quæ brevitatis studio hîc omittimus. Sufficiet igitur aerem non substantiâ, sed virtute solum concurrere ad spirituum generationem, dum sanguinem in pulmonum vasis (puta ramis venæ arteriosæ, & arteriæ venosæ) contentum refrigerat, ut aptior ad spirituum generationem reddatur; Spiritus namq; temperatos esse conveniebat, ob quam causam natura insuper cerebrum molita est, quô illud spirituum fervorem magis magisq; temperaret.

MEMBR. IV.

CAP. I.

§. 1. COllum à colendo alii derivari volunt, eò quod Auro Gemmisq; ornari soleat. Ab Aristot. 1. de Histor. Anim. Cap. 12. αὐχὴν nominatur, & est τὸ μεταξὺ προσώπου καὶ θώρακος, sive pars illa quæ inter faciem & thoracem est, septemq; terminatur vertebris, quarum prima Atlas, secunda ἐπιστροφεὺς, tertia ἄξων dicitur, reliquæ vero nomine carent. Præter vertebras in collo observantur communia integumenta, Musculi aliarum partium, motui inservientes, atq; vasa transeuntia, de quibus, cum partim jam actum fuerit, partim vero alio loco agendum sit, in præsenti nobis sufficiet de Præcipuis partibus Colli quæ ab Aristotele dicto Loco nominantur, Larynge videlicet & Gula, tractationem instituere.

Disputatio XI. Respondens Gothofredus Sand. Regiom. Pruss.

§. 2. Larynx fistulæ Pulmonariæ Caput est, in Viris magis quam in Fæminis Protuberans. Situs ejusdem est in medio Colli, quia Natura Partibus iis quas singulas Condere voluit, medium destinare amat Locum, cùm ob commoditatem in edendâ actione, tum propter æquilibrium. Magnitudo & ratione subjectorum & ratione ætatis variat; hinc aliis vox acutior, aliis gravior, pro variâ ejusdem amplitudine vel angustiâ.

§. 2. Partes Laryngis sunt Musculi, Cartilagines, Membranæ & vasa, quo etiam pertinent Glandulæ ad jacentes; & primò quidem occurrunt Musculi, verum cum ii vix intelligi queant, nisi cognitis anteà Cartilaginibus, à quibus no-

mina ipsis sunt imposita, ordinem doctrinæ hic attendentes, Cartilagines priori proponemus Loco.

§. 4. Prima Cartilago, græco nomine θυρεοειδὴς sive scutiformis vocatur, quòd Scuto Veterum similis sit; hæc potissimùm protuberantiam in viris, qui ficcioris temperamenti sunt, efficit, foris convexa, intus concava est, quadrilaterum alterâ parte longius exprimens, nisi quòd per lineam dividi videatur, (unde duplicem esse nonnulli existimarunt) Processusq; in quolibet angulo habeat, quorum qui superiores & longiores interventu Ligamenti ossi hyoidi annectuntur; inferiores verò per διάρθρωσιν cum cricoide articulantur.

§. 5. Secunda dicitur κρικοειδὴς annularis, quòd annuli Turcici figuram exprimat, apud Antiquos nomine caret, basis est & fulcrum reliquarum cartilaginum, infimo namq; Loco immobilis existens, reliquas sustinet: anteriori parte tenuior, posteriori verò Latior & robustior est.

§. 6. Tertia & Quarta, quæ unica quidem primo aspectu apparet, at separatâ membranâ, duplex revera deprehenditur, ἀρυταινοειδὴς sive guttalis, ab figuram gutturnii dicitur: rimula quæ ab his formatur, γλωττὶς vocatur, per hanc rimulam, si sensim & ad latera liquidi aliquid defluat, respirationem non turbat, at si per medium rimæ feratur vel cibi vel potulenti quid, spiritui obstaculo est, & tussim excitat. Junguntur hæ cartilagines cum Cricoide per γίγγλυμον, ut motu vario, pro angustandâ & dilatandâ rimulâ, moveri queant.

§. 7. Quinta quæ harum omnium suprema est, & glottidi, instar operculi superimponitur, nomen quoq; inde suum sortita, & ἐπιγλωττὶς dicta est, quod ἐπὶ τὴν γλωττίδα κεῖται, hujus beneficio in deglutitione à pondere ciborum depressæ, γλωττὶς clauditur: alioquin erecta, apertam servat rimulam pro libero äëris meatu.

§. 8. Cùm id quod movetur, ſuper immobili moveri neceſſum ſit; immobilem autem eſſe Cartilaginem Cricoidem, quæ baſis reliquarum eſt, dictum ſit, reliquum eſt, Cartilaginem thyroidem & Arytænoidem, motu voluntario pro modificandâ voce moveri, & hinc voluntarii quoq; motus inſtrumentis dotatas eſſe, de quibus nunc agendum.

§. 9. Eorum qui thyroidem movent muſculorum, par primum vocatur hyothyroides, quod ab inferiori oſſis hyoidis parte exortum, totam thyroidem Cartilaginem exterius tegit, & in infimam ejus partem inſeritur: hoc muſculorum par, dum contrahitur thyroidis latera adducendo, rimulam anguſtiorum reddit, atq; ſimul Laryngem ſurſum trahit, unde vox redditur acuta. Secundum Par vulgo bronchium, à Spigelio, Sternothyroides dicitur, hoc in ſterni ſuperiori & interiori parte initium ſumens, Carnoſum & Latum, ſecundùm latera aſperæ arteriæ aſcendit, & inferiorem thyroidis partem inſeritur. Uſum habet priori contrarium, dum Laryngem deorſum trahit, & thyroidem Cartilaginem, in ſuperiori parte ampliorem reddit, ut vox edatur gravior. Motum hunc Laryngis, deorſum verſus cum grave canimus, tactu percipere licet. Dicta duo paria, quia non à Larynge, ſed ab aliâ parte originem ducunt, ab Anatomicis vocantur communia. Tertium Par, thyroidem, uti primum in gravi voce dilatans, Cricothyroides anticum nominatur, in anticâ Cricoidis Cartilaginis parte oritur, atq; in thyroidis latere exteriori & interiori deſinit.

§. 10. Arytænoidem qui movent, muſculorum primum par appellatur thyro arytænoides, in inferiori ſe de Laryngis transverſim ſitum eſt, & à Cartilagine thyroide initium ſumit; Implantatur verò in Arytænoidis Latera, quæ rimulam glottida dictam, efficiunt. Hoc, arytænoidem anteriora verſus trahens,

hens, rimulam claudit, & si inflammetur in anginâ mortem infert. Secundum par claudens glottidem, arytænoides simpliciter vocatur, quia & initium & finem in arytænoide habet, exile admodum est, & in insertione cum priori pari jungitur, fibras habens obliquas. Tertium par dicitur Cricoarytænoides Posticum, quod ab inferiori & posteriori Cricoidis Cartilaginis sede exoritur, & fibris suis rectis ascendens, in inferiori Arytænoidis parte finitur, cavitatem quæ in Cricoide est adimplens, aperit hoc rimulam latera ejus extendendo. Quartum par quod Cricoarytænoides laterale vocatur, communem cum priori usum habet, â Cricoidis parte latiori, angusto principio ortum, mox latius factum, eâ parte desinit, quæ à priori tacta non erat.

§. 11. Supersunt vasa, membranæ, & glandulæ. Vasa Laryngis ortum habent à venâ jugulari externâ, & arteriâ Carotide: Nervi à sexti pars ramo recurrente, musculis ejusdem inseruntur. Membranæ Laryngem investientes, cum membranis oris communes sunt. Glandulæ ab utroq; latere binæ Laryngi apponuntur, quarum aliæ, superiori sede, ad Latera gargareonis, sive Uvulæ, locatæ, amygdalæ, tonsillæ & Anthiades nominantur, aliæ inferiori loco Laryngi adstant, quæ grato & in se præparato humore Laryngem partesq; vicinas perfundunt.

§. 12. Usus Laryngis est, ut sit vocis organum. Vox autem hâc ratione fit; aër nimirum inspiratus, motu pulmonum propellitur ad Laryngem, ibidemq; dum rimulam angustiorem reliquâ Laryngis parte, pertransire debet, sonum efficit, qui à partibus oris & linguæ aliter atq; aliter formatus, articulatam constituit vocem.

CAP. II.

CAP. II.

§. 1. Proxima, & à posteriori parte Laryngi appensa pars, quæ cibi & potùs ad ventriculum via est, gula, ab Aristot. dicto loco œsophagus dicitur, minus verò commodè ab aliis Stomachus, ambiguum enim hoc vocabulum est, cujuslibet teste Galeno IV. de Usu part. Capacitatis præpositam Cervicem denotans, & hinc os ventriculi superius, græcis καρδία, collum vesicæ, uteri, Stomachus vocatur: Itemq; pro ipso sumitur ventriculo à Celso, Latinorum Hippocrate, variis in locis.

§. 2. Constat œsophagus tribus tunicis, quarum prima reliquas involvens, communis dicitur, quam alii à pleurâ, alii à ligamentis vertebrarum, nonnulli à peritonæo deducunt. Cæteræ propriæ vocantur, harum exterior, Carnosa & Crassa est, fibris transversis donata. Altera interior, membranosa, fibras habet rectas, & continuatur cum membranâ illâ, quæ Palatum, os, fauces & labia in vestit, unde propter communionem tunicæ, labia quoq; motu suo tremulo, futurum vomitum prænunciant.

§. 3. Glandulas habet in superiori quidem parte cum Larynge communes, tonsillas sive amygdalas vocatas, in itinere verò, dum per thoracem descendit, glandulas proprias sibi substratas obtinet, quas non raro intumescere vult Riolanus Antropograph. lib. 3. cap. 4. ut potui & liquidioribus alimentis viam intercludant, (quippe ab iis tumor glandularum adaugetur) & solum solidioribus, quæ comprimendo glandulas iter sibi parant, transitum permittant. Venæ œsophagi, sunt partim à venæ cavæ ramo azygo, partim à venâ portæ, quæ ipsis cum ventriculo sunt communes: arteriæ ab intercostalibus & cœliacæ ramo coronario orto ducunt; Nervi adsunt à sexto pari.

§. 4. Actioni œsophagi serviunt quinq; musculorum paria, quorum duo dilatant principium œsophagi, quod pharyngis sive faucium nomine venit, tria verò constringunt. Dilatantium primum par sphænopharyngæum, ab acuto apice ossis sphænoidis incipit, & per interiorem pterygoidis cavitatem delatum, juxta gargareonem finitur; secundum eodem ferè principio enatum, in posteriori & laterali faucium parte desinit. Primum par constringentium, œsophagæum vocatur, quod ad latera scutiformis Cartilaginis exortum, sphincteris musculi instar, gulam ambit & fibris suis transversis constringit. Secundum par incipit eo loco, quo caput primæ cervicis vertebræ jungitur, & descendens in thyroidem cartilaginem, os hyoides & gulæ principium inseritur. Tertium Stylo Pharingæum vocatur, ab osse Styliformi initium sumens, indeq; descendens, ossi hyoidi & radici Linguæ membraneo tendine se insinuat.

§. 5. E dictis facilè constat, actionem æsophagi non aliam esse, quàm deglutitionem, Perficitur autem eadem, partim fibris maximè circularibus, sive transversis, qui se contrahendo, dum motus incipit à faucibus, cibum atq; potum deorsum versus pellunt, at si motus incipiat ab inferiori parte, versus superiora, ea quæ assumpta sunt, adigunt; partim musculis, fauces tum dilatantibus, tum constringentibus, cûm ad cibi receptionem tum ad ejus propulsionem. Hinc quæstio apud Authores nata, cùm actio hæc, partim villis sive fibris, partim musculis perficiatur, utrum sit animalis vel naturalis dicenda? Nos compendium rei facientes, naturalem actionem deglutitionem esse omninò asserimus. Inservit enim deglutitio facultati naturali, & hinc etiam merito nomen suum, à facultate, cujus est ministra, accipit: Neq; obstat, ad actionem hanc edendam concurrere simul musculos; quippe cùm nutritio

anim-

animalis, sit nobilior & operosior nutritione vegetabilium, pluribus etiam & nobilioribus instrumentis opus habuit, quæ quidem modum nutritionis variant, at actionem specie differre non faciunt.

CAP. III.

§. 1. Historiâ & usu partium Colli propositis, progredimur ad affectus præternaturales, qui sequentes sunt: tumor nimirum tonsillarum & inflammatio earundem, branchos sive raucedo, angina, & deniq; strumæ sive scrofulæ.

§. 2. Tonsillarum tumor, & visu & tactu facilè percipitur, & ab humore ad has partes confluente, ortum habet, qui dum frigidior est, simplicem tumorem efficit, & partim evacuantibus partim topicis calefacientibus tollitur; sin verò calidior, inflammationem parit & methodo inflammationibus convenienti tractanda.

§. 3. Branchos sive raucedo oritur vel ab acri humore Laryngis lateribus adhærente; vel à defectu humoris naturalis propter præcedentem nimiam exsiccationem. Curatio, si pituita à Capite defluat, ad Catharrhum est dirigenda, sin verò à nimiâ exsiccatione proveniat, liquidis, quæ gratâ dulcedine partes interiores Laryngis demulcere valent, utendum.

§. 4. Angina, quam alii ab intus angentibus dictam volunt, morbus faucium est, in quo tum Spiritus, tum cibi & potus via intercipitur. Signa hujus sunt, Læsa respiratio, impedita deglutitio, ardor, tumor, atq; rubor musculosarum partium, & deniq; febris. Differt ratione sedis affectæ, à quâ & varia nomina accepit. Nam Synanche dicitur, si lateat in internis Pharyngis sive faucium musculis; si verò in externis sit musculis, dicitur Parasynanche, quæ in internis hæret Laryngis musculis, dicitur Cynanche; quæ verò in externis ejusdem musculis, dicitur

citur

citur Paracynanche. Oritur tum à ſangvine, tum ab aliis humoribus calidioribus ſangvini admixtis, ad partem hanc confluentibus, & propter frigus externum, vel obſtructionem etiam ſubſiſtentibus, & hæc quidem anginæ ſpecies vera dicitur, quæ verò non à ſanguine nec alio humore calido, ſed à pituitoſo & frigido ortum ducit, notha ſive ſpuria appellatur, quemadmodum & ea, quæ contingit à luxatione vertebrarum cervicis, quâ gulà & aſpera arteria comprimuntnr.

§. 5. Periculoſior eſt ea anginæ ſpecies, in quâ nullus interius vel exterius apparet tumor, hinc & Hippocratis Aphoriſmus: febre detento, ſi ſuffocatio ſupervenerit, nullo apparẽte in faucibus tumore, lethale eſt. Securior angina eſt, quando tumor ad exteriora ſe convertit; periculoſior, quando in exteriori parte diſparet, & ad interiora, mali fit converſio. Minus mala quoq; ea eſt angina, quæ à pituitoſo humore, quàm quæ ab aliis calidioribus exoritur.

§. 6. Curatio, primo ſtatim die venæ ſectionem requirit revulſionis gratiâ in brachio inſtitutam, & ſi maximum ſuffocationis periculum adſit, derivationis gratiâ, venæ Loco affecto propinquæ, præcipuè quæ ſub linguâ, ſecandæ erunt. Repellentia etiam formâ gargariſmatis exhibenda; Injiciendus quoq; primo tempore clyſter, & poſt hæc Catharctica, alvum blandè moventia, & minus calida, ne febrem augeant, exhibenda. Hæc excipere debent ſi malum non ceſſet digerentia, & reſolventia; & tandem his nihil præficientibus, ſuppurantia & abſtergentia.

§. 7. Struma tumor glandularum eſt, in partibus Colli exterioribus, ab affluxu ſangvinis pituitoſi alimentaris, exortus. Familiaris eſt affectus & endemius regionibus alpinis, ob vitium aquarum, ut & hinc peregrini ad loca illa devenientes, &

eodem

eodem potus genere utentes, malo hoc afficiantur. Curationem hic affectus vix suscipit, præterquàm in ætate puerili, & primo mali initio, in quo primò repellentia exterius adhibenda, pituitam & alios humores vitiosos medicamenta evacuantia propinanda, tum etiam resolventia, formâ cataplasmatis parti affectæ imponenda, & si his malum non tollatur, ad caustica & erodentia deveniendum: extremum omnium remedium, sectio & exemptio partium corruptarum est. Cautio tamen maxima adhibenda, ne simul nervi recurrentes discindantur, atq; exinde homo Strumâ quidem liberetur, at sermone privetur, quale exemplum Galenus proponit lib. 1. de Loc. affect. Cap. 6. Pueri nimirum Strumâ quidem curati, ast muti facti. Peculiaris ratio curandi est hunc affectum, quam soli obtinent Galliæ Reges, quâ Rex impositâ ægro manu, factoq; signo Crucis hæc verba pronunciat:

Le Roy te touche, & Dieu te guarit.
Rex te tangit & Deus te sanat.

Hanc sanandi vim in Henrico IV. Rege Gallliæ adeò fuisse illustrem, ut plusquam mille & quingentos singulis annis sanaverit, testatur Laurentius lib. d. Strum. 1. c. X.

MEMBRUM V.
CAP. I.

§. 1. A Collo, quasi Colle Leniter exsurgente, rectâ viâ ad supremam omnium regionem munitissimæ instar arcis ossibus undiq; munitam ducimur; hujus igitur tam exteriores, quàm interiores partes ordine contemplabimur. In genere pars anterior dicitur facies: quæ verò frontem sequitur media, scilicet sincipur, ultima suturâ Lambdoideâ circumscripta occiput

ciput, nominatur: Partes Laterales inter oculos & aures tempora vocantur.

§. 2. Partes quæ omnium primò resecandæ veniunt, pili sunt, in Capite præprimis Luxuriantes, & in aliis quidem adeò ut Busbequius in itinere suo Constantinopolitano quendam ubere pilorum proventu, Sclopeti ictum eludere viderit. Materia è quâ pili generantur pars ea sangvinis est, quæ pituitosior existens admixtâ terrestriori parte, huic parti producendæ conveniens est. Efficiens Causa est Calor, qui cum in aliis subjectis minor, in aliis major sit, itemq; materia aliquando crassior, in aliis verò tenuior, hinc fit, ut vel molles, vel duri, simplices vel crispi, generentur pili. His accedit conditio Loci in quo crescunt, nam non æque ubiq; progerminant, sed præter materiam & calorem temperatum, necessum est cutem esse quoq; poris instructam, non nimium laxis nec strictis admodum: Cutis enim admodùm densa, proventum pilorum prohibet, quemadmodum laxior, cui radices pilorum firmiter inhærere, nequeunt, defluvium Capillorum efficit: Ad loci quoq; conditionem Crispitudinis causam alii referunt, dum enim pori cutis non recti, sed tortuosi sunt, fit ut per eosdem pili delati, tortuosi quoq; & crispi evadant.

§. 3. Ad hæc tria si quis respexerit, facilè problemata quædam quæ de generatione pilorum proponi solent solvet: veluti si quæratur cur pili in aliis locis ejusdem corporis crescant in aliis minus? cur etiam fœminæ minus pilosæ sint viris? est enim non in quavis corporis parte æqualiter constituta cutis, neq; ubiq; æquè porosa & rara, sed & materia non in quavis corporis parte suppetit, sic & caloris minor gradus, in Fæminis cutem non æquè rarefacit ac in viris, unde pili à densitate cutis excluduntur, corpusq; glabrum permanet. Symptomatum

etiam præternaturalium causam, haud difficulter reddet; vel enim materia deficiet, aut vitiosa erit, vel calor excessu vel defectu peccabit, vel deniq; in conditione loci aliquid desiderabitur.

§. 4. Neq; quis adversus nostram de generatione & materià pilorum opinionem, cavitatem pilis negatam jure objecerit; cavos enim pilos esse non solùm natura eorum fissilis probat, sed & plica Polonica in quâ Sanguinem stillant, certo indicio eos non minùs quàm alias partes, è sanguine humorem naturæ suæ familiarem, pro alimento petere: in affectu autem hoc alimentum pilorum corruptum est, propellente naturâ ad partes pilosas vitiosum & pravum sangvinem. Usus pilorum est defendere corpus ab externis injuriis, tum etiam facere ad ornatum, depiles enim deformes sunt, & venerationem quandam pili in facie viro conciliant: *Venerabundus* inquit *Galen. 11. lib. de usu part Cap. 14. Mas apparet, idq; potissimùm si ætatis progressu pili undiq; ei pulchrè circumfundantur.*

§. 5. Abrasis capillis, cutis in capite constitutionem contemplaberis, quæ cùm propter poros, quibus capillorum radices infiguntur, omninò ab aliis cutis nostri corporis partibus differat, non miraberis, in aliis partibus non æquè uberem esse pilorum proventum. Post hæc circumducto in orbem filo scalpello cutem cum cuticulâ & panniculo carnoso rescindes, ut in conspectum veniant membranæ cranium ambientes; harum exterior pericranium dicitur, quod fibris suis per suturas Cerebri delatis, cum Durâ Matre connectitur, unde alii harum membranarum consensum petunt: Quæ proximè Cranium tegit, Periostium nominaiur, quod nerveæ & tenuioris est substantiæ sensu exquisito præditum. Tali membranulâ etiam reliqua ossa investiuntur, unde & eorum exquisitus sensus, qui

in allisione ad corpus durum ossis præ primis tibiæ, percipitur.

§. 6. Remoto Pericranio & Periostio, ne sectionem remorentur, serrâ Cranium circum circà resecabis ad ductum rescissæ cutis, hoc facto, & Cranio à Durâ Matre, cui firmiter adhæret, avulso, duram matrem considerabis, quæ exteriori facie asperior apparet, interiori verò lævior; non solùm vasa hæc membrana dura vel crassa meninx aliàs dicta, variè discurrentia admittit, sed & reduplicatione suâ sinus sangvi fluos format, quorum primus & secundus ad Latera Suturæ Lambdoidis sunt, eo loco, quo Cerebrum à Cerebello distinguitur; tertius longissimus per longitudinem Cerebri excurrit, & Cerebrum in partem dextram & sinistram dividit; Quartus eo loco est, quo concursus quasi horum sinuum esse videtur. Bartholinus alios adhuc reperiri vult, quorum alius, falx inferior dicitur, duo autem communi nomine laterales dicuntur, ad latera duorum priorum lateralium sinuum; siti: non tamen in omnibus subjectis offendi hos sinus idem vult Author. Usus horum sinuum est, ut sangvinem à nutritione cerebri superfluum, revehant in venas, hinc & plura vascula in hos sinus desinunt; in specie autem sinus tertius falciformis desinit cum quarto in laterales, laterales verò sangvinem in venas refundunt jugulares.

CAP. II.

§. 1. Quod Meningibus intra Cranium undiq; cingitur, cerebrum, Græcis ἐγκέφαλος dicitur; dividitur in partem anteriorem & posteriorem; anterior ob amplitudinem nomen totius retinet, posterior verò Cerebellum nominatur; substantia ejus mollior est & frigidior, unde & ab Hippoc. lib. περὶ ἀρχῶν

Metro-

Metropolis τῦ ψυχρῦ καὶ κολλώδεος sive Metropolis frigidi & glutinosi vocatur: sensu caret omni; in profundioribus enim capitis vulneribus, absq; dolore partes cerebri resecantur & eximuntur: è multis anfractibus & convolutis quasi & faniculis cerebrum videtur esse compositum, quorum exterior facies subcinericii interior verò substantia albicantis coloris est.

§. 2. Partes Cerebri contemplandi, non una est ratio; alii enim communem methodum secandi sequi amant, alii Varolianam eligunt, quidam verò inter hanc & priorem mediam quandam instituunt, quam proponit Bartholinus: Nos communem & antiquam rationem secandi proponemus, & à superioribus ad inferiores progrediemur partes.

§. 3. Diductis cerebri lateribus, & exempto Corpore falciformi, mox in conspectum venit durior & candidior quædam substantia, cujus interventu cerebri latera sunt continua, Græcis dicitur τυλῶδες σῶμα Latinis Corpus callosum; hoc ipsum ab utroq; latere sinum ostendit, quorum alter dexter ventriculus cerebri, alter sinister appellatur. In cavitate horum ventriculorum utrimq; membranula quædam cernitur, variis intertexta venulis & arteriolis, quæ plexus Choroides dicitur, ab his ventriculis processus mammillares ad os cribriforme, feruntur. Substantia verò quæ medium horum ventriculorum distinguit, septum lucidum dicitur, quia diducta ad candelam translucet.

§. 4. Hos duos ventriculos excipit tertius, cui corpus quod superstratum est, quia cameræ instar exstructum & columnis suffultum, σῶμα ψαλλοειδὲς, Latinis fornix dicitur. Est autem hic tertius ventriculus nihil aliud, quàm concursus priorum superiorum, ut & hinc jure tres hos ventriculos unicum dicere queas.

§. 5. E tertio hoc ventriculo duo exporriguntur ductus, quorum alter descendit ad pelvim seu infundibulum, per quod tanquam per manicam Hippocratis, Pituita in glandulam subjacentem, Pituitariam dictam, transcolatur; alter verò sinum quartum ostendit, aliis ventriculum nobilem dictum, qui est inter Cerebellum & Spinalem medullam, principio latior existens in fine verò angustior, & hinc calami scriptorii figuram exprimit. Considerabis quoq; in hoc loco glandulam pinealem, quæ Græcis κωνάριον dicitur, ab aliis verò penis cerebri, (hæc glandula instar aliarum glandularum vasis fulcimenti instar esse creditur) & deinceps γλουτία seu nates, processusq; vermiformes, quæ particulæ ita vocantur, non ex necessitate usus, sed quod ob similitudinē quandam quibusdā nomina hæc imponere placuerit. Dicti processus Vermiformes, tum anterior, qui ductum ad ventriculum nobilem continebat, tum posterior, qui revolutus sinum apertum servare dicitur, cum majoribus lateralibus globis cerebellum constituunt.

§. 6. Perspectis his partibus, atq; reclinato ad alterum latus cerebro, nervos è principio spinalis medullæ, quod intra Cranium est, prodeuntes contemplaberis, secundum vulgatum versiculum.

Optica prima videt, movet altera, tertia gustat quartaq;, quinta audit, vaga sexta est septima linguæ. Septem hæc paria semper numeravit antiquitas. Cùm verò à latere quarti & quinti nervorum paris, ramuli quidam oriantur, qui mox in exortu ad diversa loca, quàm dicti nervi abeant, Bartholinus quoq; nervos olfactorios, qui ab aliis processus mammillares dicuntur, hùc referendo, decem nervorum paria intra cranium enata, numerare voluit, & triginta paria spinalis medullæ, è cranio elapsæ. Oritur autem Spinalis medulla intra calvariam quatuor radici-

bus,

bus, duabus à cerebro, reliquis à cerebello, quæ in duo corpora unita, ſpinalem efformant medullam.

§. 7. His itaq; omnibus perſpectis, in ſella Turcicâ ſive oſſe Sphænoide, glandulam pituitariam antea dictam, locatam, conſiderabis, ejusq; cavitatem examinabis. Poſt hæc ultimò ad plexum retiformem devenies, hic enim glaudulam complectitur, & toti propemodum cerebri baſi ſubjicitur: hunc plexum retiformem, ſive rete mirabile, malè quidam cum plexu Choriode confundunt; differentiam enim horum plexuum, diverſus ſitus eorundem, manifeſtè ſatis probat. Ita enim eundem deſcribit Galenus lib. 9. de uſu part. Cap. 4. verba hæc ſunt: *Itaq; quod Anatomici nuncupant* δικτυοειδὲς πλῆγμα *i. e. plexum retiformem, maximè omnium quæ illic ſunt admirabile ibi eſt collocatum complectens quidem in orbem & ipſum adena, pertingens autem raro longisſimè, toti enim propemodum cerebri baſi plexus hic ſubjicitur.* Glandulæ autem ſive adenis cujus mentionem hic facit, quamq; rete hoc mirabile complecti dicit, ſitus extra meninges eſt; ita enim ſe verba habent in priori capite: *quod autem extra Meningen eſt aden iſte, perſpicuum eſſe arbitror, etiamſi non addidero.* Hinc perſpicuum eſt, rete mirabile extra meninges eſſe locatum atq; diverſam omninò partem à plexu Choroide.

§. 8. Cùm ampliſſimum præ reliquis animalibus proportione ſui corporis cerebrum habeat Homo, amplum etiam ſatis & nobilem ejus voluerunt eſſe uſum; in eò namq; non ſolùm domicilium ſenſuum, ſed & Animæ rationalis ſedem figere Plures Philoſophi non dubitarunt. His accedit Medicorum ſchola, quæ cerebrum officinâ Spirituum Animalium, quemadmodum Cor vitalium, eſſe vult; ſpiritus enim vitales dùm ad Cerebrum elevantur, materiam præbere dicuntur generandis Spiritib⁹ animalibus, motui & functionibus ſenſuum

dicatis.

dicatis. Quâ virtute autem & quomodo hoc opus Cerebrum perficiat disquirere instituti ratio postulat.

§. 9. Uti ex historiâ propositâ patet, constat Cerebrum membranis, venis, arteriis & propriâ substantiâ, ratione figuræ, & conditione loci, variis nominibus insignitis; necessum igitur erit, aliquam harum partium, primò & principaliter novam speciem spiritus vitalibus inducere, reliquas autem huic subsidiariam operam præstare. Sed membranis principes in hoc negotio partes esse demandatas, nullus forsitan affirmabit: Sinuum enim crassæ meningis usus est ut sangvinem ad hæc loca copiosè affluentem, in venas refundant, reliquarum verò membranosarum partium, ut vel tegumenti vicem sustineant, vel vasis tutius iter præbeant. Sed neq; venæ vel arteriæ elaborabunt spiritum animalem; venarum enim officium est revehere ad fontem, Cor scilicet, superfluum â nutritione sangvinem; in iis quoq; dum sangvis continetur, non tenuior & spirituosior, sed crassior & frigidior evadit: Arteriarum autem munus est, advehere sangvinem spiritu vitali imbutum, qui materia saltem spirituum animalium est, secundum illos; sin etiam arteriis hæc virtus tribuatur, tum eadem ad fontem arteriarum, Cor scil, à quo arteriæ originem ducunt redundabit. Impropriè etiam cerebrum ipsum dicetur progenerare spiritum animalem, cùm id opus ab arteriis in cerebro contentis perficiatur. Hinc patet neq; plexui cuidam choraidi vel reticulari, qui ex arteriis constat hoc negotium à naturâ esse datum.

§. 10. Relictis igitur membranis venis & arteriis reliquum est, ut cerebrum ipsum hoc negotium conficiat spiritumq; animalem producat, æquè ac Cor spiritum vitalem: si id verum est, necessum erit ut communi animæ instrumento sit instructum, hoc autem calor est, qui omnium maximè ad exequenda animæ

offici-

officia vim obtinet, attestante Philosopho 2. de part. animal. cap. 7. & quotidianâ experientiâ id ipsum approbante. Verùm hanc vim & experientia & maximæ Authoritates cerebro denegant: Hippoc. dicto loco §. 1. hujus Cap. Cerebrum metropolim frigidi & glutinosi vocat. Philosoph. d. l. Cerebrum commune esse ait aquæ & terræ; ut omittam reliquorum Philosophorum tum medicorum turbam, his proceribus adstipulantem: Hoc si verum est & Cerebrum frigidum, terreæ & aqueæ naturæ est, quòmodo spiritum vitalem multis gradibus se ipso calidiorem, & alienæ prorsus naturæ aereæ scil. ulterius coquet, attenuabit, & in spiritum animalem transformabit?

§. 11. Non tamen Cerebrum fine caret cùm natura nihil faciat frustra, eum autem proponit Philos. 2. de part. anim. c. 7. his verbis: *Quàm omne genus animalium caloris particeps esse necesse sit, apertum est. Cùm autem omnia momentum requirant contrarium, quò mediocritatem ac medium assequantur, (in hoc enim ratio essentiaq; consistit non verò in alterutro extremo seorsim posito) idcircò adversùs Cordis sedem & calorem Cerebrum Natura molita est. Et eâ de causâ pars ista Animalibus juncta est, naturam obtinens aquæ & terræ communem. Cerebrum itaq; calorem atq; fervorem Cordis moderatur & temperiem adfert.* Hic usus â Philosopho adductus non ê Phantasiâ malè Philosophantium natus, sed ex ipsius Cerebri naturâ desumptus est: quid enim aliud Cerebrum suâ naturâ frigidum efficiet quam ut calorem temperet. Ne autem ignobilior primo aspectu hic videatur usus, paulò diducendus erit.

§. 12. Necessum fuit hominem præ reliquis animalibus ob varia obeunda animæ officia, spiritibus abundare, in Corde tanquam caloris fonte generatis; verùm ne ob copiam spirituum nimio fervore Homo æstuaret, vel præceps non concesso

deliberandi spatio, in furorem ageretur, è re maximè fuerat eosdem à contrario frigido temperari, cui negotio natura Cerebrum destinavit: cùm enim corpora levia & calida, qualia sunt spiritus, suâ naturâ loca altiora petant, optimè loco sublimiori cerebrum locatum est, ut eò appellentes spiritus, quibus natura tanquam instrumento communi utitur in omni opere, moderamen justamq; temperiem nanciscerentur, quò idonei redderentur ad exequanda tum sensûum tum reliqua animæ munia.

§. 13. Objicies; Cerebrum hac ratione dignitate suâ, quam per tot secula sartam tectamq; servavit, excidere, & quidem immeritò: læso namq; Cerebro læduntur operationes animæ, depravatur Phantasia, abolетur memoria, falsa etiam succedit ratiocinatio, hinc sequitur nobiliorem prorsus esse ejusdem usum, quàm ut frigidiate suâ temperet calorem spirituum & sangvinis.

§. 14. Respondetur. Non Philosophum sed naturam potius sin hic peccatum aliquod committeretur, esse accusandam, quæ cerebrum omni sensu voluit destitutum, quod in vulneribus ejus satis manifestum est, ut hinc non injuriâ vis sentiendi primò imò virtus ratiocinandi & intelligendi eidem denegetur. Quod autem læso Cerebro lædantur operationes animæ, non exinde fit, quòd immediatus sit inter Cerebrum & operationes nexus, sed per accidens id evenit; Cerebrum enim dum in præternaturali statu afficitur, simul afficiuntur spiritus, quibus tanquam instrumento communi læsis, læduntur etiam operationes animæ. Sic si cerebrum frigoris ex cessu peccet, fit ut naturalis spirituum temperies destruatur, & hinc animæ operationes minus feliciter succedant; sin verò propter inflammationem meningum cerebrum nimio calore laboret, varia deliriorum genera oriuntur, propter spiritus nimium incalescen-

calescentes. Sic & si vitiosi ab aliis partibus vapores ad Cerebrum eleventur, & hinc spiritus vel obnubilentur, vel nimium agitentur, aut aliâ quacunq; tandem ratione afficiantur, læsio sequitur operationem animæ, non quia simpliciter Cerebrum est affectum, verùm quia spiritus à naturali constitutione recedunt: quemadmodum enim artifex, sic & anima, læso instrumento ritè operari nequit.

§. 15. Diceret z. nonnullus, actiones inter se distinctas, ut sunt naturales, vitales, animales, diversa inferre instrumenta, quibus perficiantur, & hinc si spiritus naturales naturalibus, vitales vitalibus, & animales animalibus præsint actionibus, necessum quoq; esse, ut detur locus, in quo spiritus animales à reliquis diversi generentur; non autem alius generationis locus esse poterit, quam cerebrum, sive ventriculi ejus secundum *Galenũ*.

§. 16. Ad hæc respondemus, verum quidem esse actiones diversas diversa requirere organa seu instrumenta, sed propria, veluti actio videndi, proprium requirit organum oculum scil. auditus aurem, ambulatio pedem, & sic in cæteris, verùm spiritus non est proprium alicujus actionis instrumentum, sed communissimum, quo natura in omni opere utitur, ut proinde non necessum sit alium præter Cor dari locum, in quo generentur spiritus, sufficit enim unicus spiritus in corde generatus & in Cerebro temperatus, qui pro diversitate organorum propriorum, diversis inservit operationibus. Sed & Ventriculi Cerebri, cùm pituitosis excrementis viam præbeant, ineptum erant spirituum animalium domicilium. Præterea, si animales actiones, animalem requirunt spiritum, etiam naturales naturalem exigent; at spiritus naturalis jamdudum ab aliis est explosus, imò hoc seculo ejusdem officina, dempto hepati sangvificationis munere, omninò destructa est.

§. 17. Deniq; si Cerebri usus non alius est, quàm moderari calorem cordis, sangvinem & spiritus temperando, remanere videtur aliquod dubium, ubinam scil. locorum animæ sensitivæ facultates, sedem habeant? Galenici enim sensus internos (ut sunt sensus communis, Phantasia & memoria) simul etiam vim loco motivam, cerebro tribuunt; facultatem autem irascibilem, sive θυμοειδῆ itemq; spiritus vitalis elaborationem & vim pulsatilem, cordi; vegetabilem deniq; facultatem hepati; ut hac ratione tres hæ animæ facultates diversis resideant locis.

§. 18. Verùm tanta hæc difficultas non est, quanta quidem primo aspectu videtur; malè namq; à Galenicis animæ facultates diversis locantur locis, quid enim supererit, quod eas uniat atq; ad unitatem reducat, cùm forma saltem sit unica? determinandū igitur nobis erit, quâ sede hæ facultates commorentur, & quomodo anima, quæ his facultatibus non à se invicem separatis sed unitis constat, operetur.

§. 19. Ut ab infimâ facultatum, quæ nutritiva sive vegetabilis est, ordiamur, constat ex antedictis eam quidem malè alio in loco locari quam in corde; cùm enim hepar non amplius sangvinem alimentum animalis præparet, sed cor, rectius etiam principiū vegetabile cordi tribuetur quàm hepati. Sed & facultas vitalis, quæ cōsistit in elaboratione spiritus vitalis, & vi pulsatili, optimè conjungetur cum facultate priori, vis enim pulsatilis inservit nutritioni, per eam enim alimentū ad partes distribuitur.

§. 20. Superest itaq; facultas animalis, quæ utrum in eâdem sede corde scil. moretur, considerandum est. Fatētur autem omnes ii quicunq; facultatem θυμοειδῆ sive irascibilem in corde ponunt, hoc in loco ex parte facultatem animalē residere, quid enim aliud est facultas θυμοειδής, quàm animalis, utpote quæ soli animæ sensitivæ competit. Hæc igitur irascibilis facultas, cùm nulli alteri præterquàm animæ sensitivæ insit, necessum est & animam sensitivam sensibus internis instructā, cordi inesse; nisi absurdissimā velis concedere consequentiā, animam sensitivā secundùm loca esse divisā, ut pars ejus altera in cerebro, altera in corde locū habeat,

Disputatio XII. Respondens Conradus Vasmarus Melling-haus. Lunæburg.

§. 21. NEq; hic quicquam obstat quod organa sensuum externorum sint in Loco à Corde remotiori; non enim immediatè anima qualitates sensibiles recipit,(cum nihil quicquã à corporeo pati possit)sed mediantibus Spiritib9,qui mediam quasi naturam inter Animam & Corpus habent, operationes & functiones suas exercet, hoc ordine: à qualitatibus nimirum sensibilibus in sensuum externorum organis receptis, Species quædam sine materiâ & indivisibilis imprimitur Spiritui, qui hanc Speciem sine materiâ Animæ sensitivæ in Corde offert judicandam, quà receptâ simul affectus moventur tristitiæ vel gaudii, amoris vel odii, delectationis vel displicentiæ, certo indicio cognitionem Speciei fieri in Corde, atq; simul reliquas facultates Animæ utpote memorativam & imaginatricem Cordi in esse; Absurdum enim esset Speciem illã primo offerri judicandam cerebro, hinc Cordi ad movendum affectus à Corde vicissim remigrare ad cerebrum, ut ibidem asservetur vel ulterius dijudicetur. Sed & in Corde cognitionem objecti fieri, manifestè exinde constat, quod cum Cor affectu quodam vehementiori occupatur, non videamus vel audiamus ea quæ alias sensum nostrum movere satis valent, quamvis Organa sensuum optimè sint disposita.

§. 22. Non minus virtutis Locomotivæ Principium in Corde est; appetitus enim sine omni dubio in Corde sedem habet, hic autem mediantibus Spiritibus membra movet: Neq; hic quisquam objiciet quod nervi interim à cerebro videantur oriri, cum virtus nervorum, per quam nervi potestatem movendi habent (Spiritus scilicet) à Corde sit. Relicto igitur usu à Galeno cerebro assignato, Cor verius Animæ Regiam & Domicilium Salutamus, in quo primò reliquis partibus nondùm formatis virtus Animæ per motum apparet, primumq; & pro-

ximum Animæ Instrumentum est, & à quo, tanquam convenientissimo medio nimirum Loco, commodissimè Animæ virtus se ad quasvis Corporis partes diffundit. Sed & præter dicta omnem Animæ virtutem à Corde manare commonstrant Animæ deliquium & Syncope, in quibus propter affectum Cor omnes actiones cessant Animæ. Concludimus tandem verè à Philosopho dici Cerebrum Cordis gratiâ non Cor Cerebri gratiâ esse factum.

CAP. III.

§. 1. Non minus quam reliquæ partes plurimis Cerebrum afficitur malis, quorum præcipua sunt; Coma, Lethargus, Carus, Apoplexia, Epilepsia, Tremor, Catoche seu Catalepsis, Paralysis, Convulsio, Phrenitis, Cerebri abscessus & Sphacelus, Mania, Melancholia, Catharrhus & Dolor Capitis; quorum singulorum indoles, è signis Causisq; cognoscenda, cum annexâ medendi ratione.

§. 2. Coma, Lethargus, Carus & Apoplexia affectus omnes soporosi, in eo conveniunt, quòd qui aliquo horum laborant, somno alto sopiti jaceant; differunt autem, quòd Comate seu Cataphorâ laborantes, somno quidem detineantur profundo, sed excitati ab eodem oculos aperiant, & ad interrogata respondeant, in somnum profundum mox relabentes: in Lethargo præter somnum Comati similem, adest febris & delirium: Carus Comati similis est & febris expers, somnus verò in eo adeò profundus, ut excitati vix oculos aperiant, neq; respondeant, sensu tamen tactûs superstite, & integrâ manente respiratione: in Apoplexiâ, profundissimus somnus adest cum sensûs & motûs omnimodâ privatione & respirationis difficultate: hinc apoplectici neq; excitantur, neq; sentiunt, & difficulter admodùm respirant.

§. 3. Horum omnium causam, atq; generationis modum optimè intelliges, si quomodo naturaliter somnus animali contingat perspectum habeas. Cognito enim altero Oppositorum, multum lucis ad alterius cognitionem venaberis: unde autem fiat somnus naturalis, docet Philosophus, lib: de Somno & Vigilia, Cap. 3. his verbis: οὐκ ἔστιν ὁ ὕπνος ἀδυναμία πᾶσα τοῦ αἰσθητικοῦ, ἀλλ' ἐκ τῆς περὶ τροφὴν ἀναθυμιάσεως γίνεται τὸ πάθος. τοῦτο ἀναγκαῖον γὰρ τὸ ἀναθυμιώμενον, μέχρι του ὠθεῖσθαι, εἶτα ἀντιστρέφειν καὶ μεταβάλλειν καθάπερ Εὔριπον. Τὸ δὲ θερμὸν ἑκάστου τῶν ζώων πρὸς τὸ ἄνω πέφυκε φέρεσθαι, ὅταν δε ἐν τοῖς ἄνω τόποις γένηται, ἀθρόον πάλιν ἀντιστρέφει καὶ καταφέρεσθαι. Non omnis impotentia sentiendi Somnus est, sed ea solùm, quam divaporatio committit alimenti. Quod enim sursum halat, quadantenus attolli, deinde regredi ac refluere instar Euripi necesse est. Nam animantis cujusq; calidum, in sublime naturâ fertur, at ubi eò loci sub vectum est, mox universum reciprocat ac descendit. Ex his constat exhalationis, seu vapores ad Cerebrum elevatos somnum inducere; iisdem namq; dum Cerebrum aggravatur, Spirituum intercipitur via, motusq; eorundem & ad organa sensuum externorum influxus prohibetur, atq; ita vaporum copiâ obnubilatum Cerebrum, facit, ut animal ad quietem se componat.

§. 4. Dum hæ exhalationes, secundùm præscriptum naturæ fiunt, homo exinde Levamen quoddam percipit, atq; recreatur; quam primum verò materia harum exhalationum, vel quantitate, vel qualitate peccat, morbos inferri necesse est, quemadmodum & illud innuit Philosophus dicto loco dum prioribus hæc subjungit: καὶ μετὰ τὰ σιτία μάλιστα τοιοῦτος ὁ ὕπνος, πολλὴ γὰρ ἡ ἀπὸ τῶν σιτίων ἀναθυμίασις. ἔτι δὲ καὶ ἐκ κόπων ἐνίων. ὁ μὲν γὰρ κόπος συντηκτικόν. Τὸ δὲ σύντηγμα γίνεται ὥσπερ τροφὴ ἄπεπ-

 τος

τος ἂν μὴ ψυχρὸν ᾖ. καὶ νόσοι δέ τινες τὸ αὐτὸ τοῦτο ποιοῦσιν, ὅσαι ἀπὸ περιττώματος ὑγροῦ καὶ θερμοῦ, οἷον συμβαίνει τοῖς πυρέττουσι, καὶ ἐν τοῖς ληθάργοις. Et maximè post sumptum cibum somnus evenit, tunc enim multæ exhalationes fiunt, uti etiam à fatigationibus quibusdam: nam fatigatio colliquandi vim obtinet, colliquamentum autem vicem incocti alimenti, nisi frigidum sit, præstare solet. Sed & morbi quidam, qui ab humido & calido excremento proveniunt, tale quid faciunt, quod contingit in Febribus & Lethargo.

§. 5. Vapor igitur sive exhalatio præter naturalis prædictorum affectuum causa est, neq; enim intelligi potest, quâ ratione vel humor sub propriâ Specie, vel Sangvis redundans, vel tumor aliquis Cerebri, omnem spirituum influxũ inter turbare, aut res quædam à naturâ hominis aliena ventriculos comprimendo, vel obstruendo omnium sensuum functiones, impedire valeant, & præprimis in apoplexiâ ratio reddi nequit, quomodo vel humor vel aliud quid præter vaporem adeò subito omnes spirituum vias intercipere queat, ut interdum inter pocula atq; convivantium jocos bellè degentes, nullo prævio mali indicio, eâdem corripiantur. Neq; hîc quicquàm valet experientia quorundam, quâ constat in Cerebro eorum, qui Comatoso affectu laborarunt, post mortem dissecto, repertos fuisse tumores, de quo inter alios, testis est Felix Platerus; non enim exinde aliquis concludet, per legitimam consequentiam, hunc tumorem in Cerebro inventum, causam fuisse Comatosi affectûs, committet enim hac ratione fallaciam non causæ, & simul fallaciam accidentis, quia alia causa geniti tumoris, alia causa verò Comatosi affectûs præcedere potuit. Et deinceps facile accidit, ut diversa mala, unum idemq; subjectum afficiant, & hinc per accidens tumor aliquis Comatoso affectui conjungatur.

§. 6.

§. 6. Cùm autem non una conditio horum affectuum sit, sed ab aliis Lethargus differat, quòd sit cum febre & delirio, in hoc quidem materiam in vaporem resolutam ex parte biliosam fuisse; in aliis verò magis pituitosum humorem, aut aquosum in vapores facilè resolubilem, malo occasionem dedisse, certum est. Vicissim quod in Caro somnus profundior sit, quàm in Comate, in Apoplexia verò profundissimus, id itidem à materiâ provenit, quæ cùm crassior sit, crassiores, resoluta, vapores producit, qui velut Crassæ nubes Cerebrum atq; Spiritus adeò densâ caligine suffundunt, ut nec respondere, nec excitari, ita affecti, queant.

§. 7. Præterea, adhuc alia quædam inter hos affectus, datur differentia, nam alii ad plures sæpe continuantur dies, alii minus, quemadmodum Apoplexia parvo temporis spatio, vel mortem infert, vel in alterutrius lateris paralysin desinit. Sed & hoc ipsum inæqualitatem materiæ indicat, in aliis enim vapores dum à frigiditate Cerebri in humorem condensantur, tenuiores sunt, & hinc humor, cum non adeò crassus sit, faciliùs à venis recipitur & revehitur, novis subinde per arterias ascendentibus vaporibus ad Cerebrum, iisdemq; vicissim condensatis, & per venas refluentibus: in Apoplexiâ verò vapor, in crassiorem condensatus pituitosum humorem, cùm discuti nequeat, nec à venis propter crassitiem recipi, ut plurimùm ad partem aliquam spinalis medullæ, decumbens, obstructionem in nervis, qui motui alterutrius lateris destinati sunt, efficit; unde Paralysis hunc affectum excipit: pars verò hujus pituitosi humoris, per ventriculos & Choanam ad latera ossis Sphænoidis deorsum fertur, & ad respirationis organum devoluta, difficilem respirationem, atq; ex reciprocatione aëris cum humore stertorem efficit.

§. 8. Materiam consideravimus vaporum, causa igitur materiam resolvens,& locus in quo resolvitur consideranda. Causam quòd attinet,calor sine dubio,materiam crudam aquosam, aut pituitosam resolvit, quemadmodum frigus vaporem condensat,& denuò in humorem convertit; pars igitur nostri corporis, quæcunq; calore quodam pollet, id, si materia præsto sit, efficere poterit: præprimis verò, cùm copiosè satis, in his affectibus, vapores Cerebrum petant, ad Cor tanquàm caloris fontem erit respiciendum; quemadmodum enim, ut magna parvis componere liceat, Soli præ reliquis astris, id officii genus tribuitur, ut humidum in vapores resolvat, qui ascendentes Cœlum obnubilant, atq; radiorum splendorem intercipiunt, ad mediam verò aëris regionem delati, à frigiditate vicissim condensantur, & sub pluviæ specie descendunt; sic & Cor,quod meritò Sol microcosmi audit, Crudum aquosum & pituitosum humorem, vitio coctionis primæ genitum,& cum Sangvine in thalamos receptum,calore suo in vapores resolvit, qui ob facilem, per arterias viam,ad Cerebrum elevati Spiritus obscurant, eorundemq; influxum & operationes impediunt. Hinc laborante spiritu, tanquam propinquissimo animæ instrumento,necessum est,animam ab operationibus suis feriari, tanquam artificem instrumento commodo destitutum. Hi verò vapores à frigiditate Cerebri, in humorem vicissim convertuntur, qui si tenujor sit, à venis suscipitur, & ad Cor iterum descendit, fluxumq; atq; refluxum Euripi imitatur, si verò ob crassitiem à venis suscipi nequit, ad spinalis medullæ principium devolutus, obstructionem nervorum parit, uti præcedente §. dictum.

§. 9. Periculosus omnis Comatosus affectus est, & eô periculosior, si morbis acutis superveniat, aut senile & debile corpus

pus invadat. Qui Lethargo laborant, ut plurimum intra 7. dies moriuntur, si verò hos effugerint, sani evaduut, Hip. 2. de morb. Vulg. Apoplexia fortis omninò nō solvitur, debilis non facile. Idem Sect. 2. Aphor. 42. Spes sanitatis super est, si Apoplecticus intra 7. dies febre corripiatur. Aphor. 57. Sect. 6.

Soporoso quoq; affectui, Phrenitidem succedere bonum. In Lethargo parotides, & pus ex auribus profluens si Symptomata simul mitescant, salutem promittunt.

§. 10. Horum affectuum curatio, in eo consistit, ut æger quàm primùm excitetur, quod fit objectis singulos sensus vehementius moventibus; ut lumine Solari oculos irradiante, Clamore strepitu vehementiori aures feriente, acribus multumq; odorem spirantibus, qualia sunt Castoreum, ruta, sensum adoratûs revocantibus, & frictionibus, vellicationibus, pilorum evulsionibus, tactum irritantibus. Post hæc Clyster injiciendus, ex decocto Communi, addito Electuario hierâ picrâ, Oleo Rutaceo, & ⊖e communi vel ♀o ⊕to, majori quàm aliàs dosi, quò natura eò citius, ad excretionem irritetur.

§. 2. Causa horum affectuum, quæ frigidus vapor est, Venæ sectionem quidem non indicat, quia tamen fieri potest, ut corpus juvenile, viribus ante morbi invasionem integris, habitusq; Plenthorici tali malo corripiatur, venæ sectio differenda non est, sed quàm primum vena Cephalica in brachio aperienda, aut, quod magis probaverim, si peritus adsit Chirurgus, vena jugularis secanda, quia hac ratione, tanquàm per viam proximam, caput, parte quadam humoris & Sangvinis, brevi liberatur, viæq; cerebri, magis fiunt patulæ.

§. 12. Paucis horis, ab administratâ venæs. elapsis, purgatio est instituenda formâ potionis, è dissolutis Electuariis purgantibus, in aquis Cephalicis, addito semper Castoreo ad ℈ß. neq; negli-

negligenda ſunt Sternutatoria, Veſicatoria, Cauteria actualia etiam,& in declinatione morbi Cerebrum corroborantia. Præprimis ſœpiùs & repetitis vicibus, durante affectu Clyſteres acriores injiciendi, de reliquis conſulantur Practici.

§. 13. Coma vigil, à Comate ſomnolento differt, quod perpetua quidem ad ſomnum adſit propenſio, at variis deliramentis, & imaginibus impedita, unde & ſi tangantur hoc morbo affecti, mox oculos quidem aperiunt, ſecùs quàm in prioribus affectibus, ad Somnum tamen ſe rurſus componunt, atq; vigilantes ſomniant, ſomniantesq; vigilant. Cauſa Vapor bilioſus, & pituitoſus eſt, variâ proportione mixtus: in aliis enim magis abundat bilis, quorum Curatio ferè eadem eſt, quæ Phreneticis convenit; in aliis verò pituita, bilem proportione ſuperat, horum curatio ea requirit remedia, quæ Lethargo affectis exhiberi ſolent.

§. 14. Paralyſis motus voluntarii in partibus abolitio eſt, ſenſui per ſe ſatis manifeſta. Oritur ab intercepto ſpirituum per nervos influxu, ob humorum pituitoſorum ut plurimùm, ad principium nervorum decubitum. Eſt vel utriusq; lateris, & Uuiverſalis, vel alterutrius, aut partis ſaltem alicujus, & particularis, prout humor vitioſus obſtructionem pariens, pluribus vel paucioribus nervis motui voluntario ſervientibus, ſe inſinuat. Motum abolitum in parte aliquâ, ſequitur paulatim ejus macies, à quâ Charleton in Oeconomiâ ſuâ Animali Exercit. 10. Argumentum ſumit, per nervos ſuccum alimentarem, ad partes deferri, quia in paralyſi per arterias liber Sangvini ad partes conceditur affluxus, nulla tamen fit nutritio. Verùm inſignem Charleton hic Paralogyſmum committit: non nunquàm enim nutritio læditur, non quod materia ſeu alimentum deeſt, ſed quia virtus partium, quæ alimentum, Sangvinem

gvinem videlicet arteriosum assimilare, & in substantiã earundem convertere debebat, deficit; id verò exinde evenit, quia propter obstructionem, Spiritus, seu Calidum influens per nervos ad partes deferri, earumq; virtutem seu Calorem instaurare nequit, unde maciem sequi necessum est. Ex hoc simul intelliges, unicum spiritum inservire functioni naturali, nutritioni scilicet, nec non animali motui videlicet, unde inanis est distinctio spiritûs, in naturalem & animalem. Curatur Paralysis pituitosi humoris Evacuatione primò Universali, ut mali fomes tollatur, secundò particulari, per Errhina & Apophlegmatizonta, hæc excipere debent sudorifera, & deinceps Cephalica Corroborantia. Locum etiam hic maximè merentur, Colli & Spinalis medullæ cum spiritu formicarum, Liliorum Convall. & ▽ apoplectica frictiones, uti & inunctiones ex axungiâ humanâ, unguento de Castoreo, & aliis. Diæta tandem, uti in aliis, sic & in hoc affectu, causæ morbificæ opposita, calida videlicet & sicca convenit.

§. 15. Spasmus, sive Convulsio, nervosarum partium contractio est, quâ membrum affectum, in eodem statu permanet, hoc ipso à motu convulsivo differens, in quo situs positusq; membrorum mutatur, ob varias agitationes, quibus nervi, quod sibi molestum est excutere nituntur, quales motus convulsivos in Epilepsiâ videre licet. Causam pleriq; cum Hippocrate Sect. 6. Aphor. 39. statuunt inanitionem & repletionem, similitudine, ut res clarior reddatur, sumptâ à chordis, quemadmodum enim eædem, vento flante Austrino, secundùm latitudinem humido aucto distenduntur, secundùm longitudinem verò abbreviantur, flante vero Aquilone, absumptâ humiditate, contrahuntur, & itidem breviores fiunt, unde ruptura, sic & nervos, dum humore nimium secundum latitudinem distendun-

stenduntur, breviores fieri, & contractionem pati, dum verò nimiam siccitatem patiuntur, instar corii, igni admoti, corrugari & contrahi volunt.

§. 16. Causas has Convulsionis, veritati minus consonas esse quidam contendunt, è quorum numero est Adverrhoës, qui 3. collectaneorum hæc habet: Utinam scirem, cur distendantur in latum nervi, & non in longum. Et paulò post; scias Medicorum verba in hoc symptomate universa propriora esse, verbis Musicorum, seu fabellas canentium, quam demonstratorum; quod verò inanitionem attinet, eandem quoq; maximis difficultatibus involutam alii esse dicunt: quomodo enim ad inanitionem, puncturas, ictus animalium venenatorum, usum Medicamentorum purgantium & malignorum referre quis poterit.

§. 17. Nos à receptâ hac opinione, non planè recedendum neq; per omnia vestigiis priorum Doctorum insistendum esse existimamus. Illud attendentes, quæ Sennertus. lib. 1. Pract. cap. de Convulsione habet: etsi calumniis facile obnoxium sit, si quis à sententiâ, in omnium libris ferè vulgatâ, secessionem faciat, tamen ubi de veritate agitur, non quis, vel quot aliquid dixerint videndum, sed quàm bene dicatur perpendendum. Non negamus solam repletionem, vix locum Causæ mereri, sed qualitatem humoris replentis, in subsidium vocandam, firmiter persuasi sumus: jam ex ipsius affectûs conditione patet, non alteriùs qualitalis humorem, quàm eum, qui maximam astringendi vim habent, ut validam illam membrorum contractionem efficere queat, pro causâ verâ habendum, astringunt verò maximè humores austeri, acerbi & acidi, quod in fructibus immaturis, itemq; aliis experimur; talem igitur humorem, qui hunc corruptionis modum passus sit, causam hu-

ſam hujus affectûs eſſe cenſemus. Neq; quis facilè ejusmodi humoris exiſtentiam, in corpore negaverit; cùm enim vel infiniti dentur humorum corruptionis modi, quid obſtabit, quo minus, & tale vitium humor in noſtro Corpore capiat? Sed & Experientia teſtis eſt, non nullos adeò acidum & acerbum, vomitu reddere humorem, qui dentes obſtupe faciat, partesq; oris contrahat.

§. Quæreret autem aliquis, quomodo cauſa noſtra, locum habeat in eo convulſionum genere, quod vel ab inflammatione alicujus partis, vel à puncturâ, ictu animalium venenatorum, uſu purgantium vel malignorum ortum ducit? Quod inflammationem attinet, eadem per accidens ſaltem, convulſionis ſeu tenſionis cauſa eſt, cùm non ſemper eandem ſequatur convulſio, fit interim, ut, cùm varii ad partem inflammatione laborantem, humores ferantur, ſimul & talis, qui contractionem partium nervoſarum efficere poſſit, eò deducatur. Reliqua verò cauſarum genera, puncturas, ictus, non Convulſionis, ſed motus convulſivi cauſas eſſe diximus, quam diſtinctionem, primâ hujus materiæ fronte innuimus: motum verò convulſivum hæc omnia hac ratione efficiunt: vellicant nimirum, vel aliâ aliquâ ratione nervoſas partes moleſtiâ afficiunt, quam cum partes nervoſæ ferre nequeant, contrahendo ſeſe vires colligunt, ut ſibi quod moleſtum eſt excutere queant. Hoc ut intelligas, ad ſternutationem, quæ ſpeciem convulſivi motus præ ſe fert, attende: præcedit in ſternutatione vellicatio membranoſarum partium, à re acri & moleſtâ; vellicationem hanc non ferentes meninges Cerebri, ſe conſtringunt, atq; conſtringendo ſeſe, ad motum inſurgunt, quo ſibi quod moleſtum eſt, excludunt.

§. 19. A Spaſmo de quo jam egimus, differt Spaſma φυσώδης, ſive ſpaſmus flatulentus, vulgô der Krampff/ qui ipſo nomine

 cauſam

causam exprimit, neq; diutius in parte commoratur, sed facilè discutitur, ut Medicum advocare opus non sit, cum dolore interim affligit, aliquando digitos pedum, aliquando suras, vel alias partes, & plerumq; familiaris est iis, qui abundant cruditatibus, à quibus flatus indolem dicti §. 17. humoris referentes elevantur.

§. 20. Spasmus verus, alius est Emprosthotonus, quando corpus versus anteriora convellitur; alius Episthotonus, in quo musculi motui Corporis ad posteriorem partem dicati afficiuntur, & totum corpus in posteriorem partem flectitur; alius dicitur tetanos, quando musculi motui tum versus anteriora quàm posteriora destinati, utriq; æq; patiuntur, unde totum corpus in neutram partem inclinat, sed rigidum omninò & inflexibile permanet.

§. 21. Quod ad prognosin, periculosus admodum Spasmus affectus est, si vel plures partes, vel nobiliorem saltem aliquam occupet, itemq; si aliis morbis acutis superveniat. A sumpto Helleboro convulsio lethalis est S. 5. Aphor. 1. Ab ilio Vomitus, singultus, convulsio, delirium malum. S. 7. Aphor. 10. In febre non intermittente, si labrum palpebra, vel oculus, vel nasus, vel supercilium pervertatur, vel æger non videat, non audiat, jam debili existente corpore, quicquid horum evenerit, mors in propinquo S. 4. Aphor. 49. Convulsio à vulnere perniciosa §. 5. Aphor. 2. Febrem Convulsioni supervenire, melius quam febri convulsionem. S. 2. Aphor. 26. Spasmo aut tetano si febris accesserit, morbum solvit. S. 4. Aph. 57. Qui tetano corripiuntur, intra quatuor dies pereunt, si verò hos effugerint, sani evadunt. §. 5. Aphor. 6.

§. 22. Quemadmodum omnis cacochymia, sic & in hoc affectu humor vitiosus, qui causa mali est, purgationem indicat; cùm

cat; cùm verò vis purgantis medicamenti ad locum affectum vix penetrare queat, in hunc præcipuè finem admittitur, ut mali fomes, in primis viis hærens tollatur: parti affectæ topica maximè conveniunt relaxantia & discutientia, olea, linimenta, sacculi, unguenta, fotus, insessus, balnea. Corroborationi etiam nervorum incumbendum, & propterea Cervix & Spina dorsi, oleo lumbricorum terrestrium, addito Castoreo, inungenda. Ratione Revulsionis per totum morbi tractum Clysteres acriores injiciendi.

§. 23. Epilepsia, ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνειν, quòd mentem quasi atq; sensus apprehendat dicitur, Comitialis item morbus, itemq; lunaticus, & Caducus, ab Hipp. lib. de morbo Sacro, νοσος ἱερὰ vocatur, vel quod sacrum significet magnum, vel quòd tale nomen Magis atq; Circulatoribus huic affectui imponere placuerit, ut expiationibus & incantationibus locus esset.

§. 24. Est Epilepsia affectus Cerebri, ortus ab humore acri acido, tenui atq; corrupto, qui agitando atq; fermentando humores Cerebri, spirituum motum turbat, eosdem in organa sensuum ritè influere non permittit, & ad principia nervorum delatus, acredine suâ eosdem vellicat, atq; aciditate contrahit; unde spiritibus in motu & influxu turbatis, sensuum functiones cessant, nervis verò ab acrimoniâ vellicatis, motus convulsivi oriuntur; ab agitatione verò & fermentatione humorum Cerebri spuma circa os apparet.

§. 25. Qualis autem humor sit ille, qui vel sub propria vel vaporis specie cerebrum hac ratione afficiat, dispiciendum. Proponit autem ejusmodi qualitatibus præditum humorem Galenus lib. 3. de loc. affect. cap. 7. his verbis.

Sic & Melancholicus humor secundùm substantiæ varietatem, non obscuras habet differentias. Nam alius est veluti fæx

Sangvinis, qui admodum spissus est, fæcibus vini haud absimilis. Alius verò quam superior, essentiæ est multò tenujoris, atq; vomentibus eum & olfacientibus acidus videtur, qui etiam terram radit, attollit & fermentat, atq; ampullas, quales ferventibus jusculis supernatare videmus, excitat. Sed is, quem crassæ fæci similem esse dixi, in terram effusus, non inducit fermentationem, nisi forte in ardente febri, ipsum magnoperè præassari contingat, neq; ullâ etiam acidâ qualitate participat. Ad crassiorem Melancholiæ speciem respiciens Galenus, paulò post his verbis, mali Epileptici causam exprimit; ut crassus pituitæ succus, ita hic quoq; comitialem morbum solet efficere, ubi in meatibus ventriculorum Cerebri retinetur, sive is medius sit, sive postremus.

§. 26. Nos priorem potius speciem humoris melancholici, pro causâ Epilepsiæ habendam esse censemus, cùm ejusmodi qualitatibus sit instructus, ut ab iisdem omnia ea, quæ in Epilepsiâ apparent, commodè derivari queant, & confirmat nostram opinionem, quòd hoc affectu qui laborant, plerumq; melancholicæ sint constitutionis, de quo testimonium perhibet Hipp. lib. 6. de Morb. popular. his verbis:

Melancholici, & Epileptici fieri solent plerumq;. Galenus idem dicit lib. 3. de loc. aff. cap. 7. Non autem eos Melancholicos esse intelligendos, qui crassâ & frigidâ abundant Melancholiâ, atq; inepti sunt ad studia literarum vel alias artes, sed eos potius, qui tenujores in corpore fovent humores, & ingenio valent, innuit Aristot. his verbis: Διὰ τί πάντες ὅσοι περιττοὶ γεγόνασιν ἄνδρες, ἢ κατὰ φιλοσοφίαν, ἢ πολιτικὴν, ἢ ποίησιν, ἢ τέχνας, φαίνονται μελαγχολικοὶ ὄντες. καὶ οἱ μὲν οὕτως ὥστε καὶ λαμβάνεσθαι τοῖς ἀπὸ μελαίνης χολῆς ἀῤῥωστήμασιν; οἷον λέγεται τῶν τε ἡρωικῶν τὰ περὶ τὸν Ἡρακλέα. καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔοικε γενέσθαι ταύτης τῆς φύσεως.

δι' ὃ

δι' ὃ καὶ τὰ ἀῤῥωστήματα τῶν ἐπιλεπτικῶν ἀπ' ἐκείνου προσηγόρευον οἱ ἀρχαῖοι ἱερὰν νόσον. Sect. XXX. q. 1. Cur homines, qui ingenio claruerunt, vel in ſtudiis Philoſophiæ, vel in republ. adminiſtrandà, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, Melancholicos omnes fuiſſe videamus? & alios ita ut etiam vitiis atræbilis infeſtarentur, ceu inter Heroës de Hercule fertur: hic enim ea ipſa fuiſſe natura putatur & morbum comitialem (Sacrum & Herculeum) ab eo priſci nomina verunt. Objiceret nonnullus, infeſtare hoc malum aliquando homines, à Melancholicâ conſtitutione alienos, itemq; infantes lac maternum ſugentes, unde & παιδίων πάθος dicitur hic affectus, quia infantibus admodum familiaris eſt. Sed neq; hoc ipſum negamus, fieri enim poteſt, ut in corpore non melancholico tenuis acris atq; acidus humor generetur, vel lac etiam in ejusmodi corruptum humorem convertatur; cùm non ſemper morbos patiamur eos, ad quos naturà inclinamus, ſed ſæpius tales, qui prorſus alieni videri queant ob vitium diætæ, vel aliud aliquod commiſſum erratum.

§. 27. Prognoſin exhibet nobis Hippocrates, Sect. 2. Aphor. 45. à comitiali morbo juniores, mutatione potiſſimum ætatis, temporum, locorum, & victus liberantur. Mares itaq;, qui ante 4. ætatis annum hoc morbo laborant, cùm ſemen fundere inceperint; fœminæ verò, cùm menſtrua fluxerint morbi ſolutionem ſperare poſſunt; qui verò hoc tempore non liberantur, ſalutis ſpem adhuc obtinent, usq; ad annum 25, quibus tunc humorum redundantiâ ſublatâ, morbi ſolutio non contigerit, comitari eosdem hic affectus, usq; ad mortem ſolet. Diuturnus aut ſæpius uno die affligens paroxyſmus ſi debiles, ſenes vel infantes corripuerit, vitæ periculum minatur.

§. 28.

§. 28. Curatio respicit vel ipsum paroxysmum, vel tempus extra paroxysmum. In paroxysmo, ea præcipuè locum merentur, quæ caput roborare, materiam peccantem discutere, ægrumq; excitare valent. Commendantur ad hæc △æ & Spiritus Cerebrum confortantes, nimirum Liliorum convallium, Lavendulæ, Rosmarini, itemq; balsamus apoplecticus, de Peru, Ol: Succini & alia; quod si his remediis malum non cedat, Cucurbitulæ, frictiones, vesicantia, Clyster revulsorius, adhiberi poterunt, itemq; sternutatio pulvere sternutatorio excitari poterit; manus præterea ab adstantibus servandæ sunt extensæ, atq; cochlear ori immittendum ne respiratio nimium lædatur, vel particula lingvæ mordendo auferatur. Tempus extra paroxysmum ea præcipuè requirit, quæ causam morbi è corpore tollant, cui scopo, præprimis inservit Helleborus niger, tam à veteribus quàm recentioribus in hoc affectu commendatus, ut & alia medicamenta melancholiam purgantia. Creduntur & alia, specificâ quâdam qualitate huic morbo resistere, de quibus consule Authores. Non inutilis tandem erit venæsectio, cùm vel sola eadem administratâ Epilepticos curatos experientia testetur.

§. 29. Vertigo inordinatus Spirituum motus est, propter quem falsa conversionis & circumgyrationis imaginatio evenit. Inordinati spirituum motus causa plerumq; flatus est è partibus inferioribus ad Cerebrum elevatus; nonnunquam à causis solùm evidentibus provenit; ut circumgyratione corporis, vel aspectu aliorum corporum, motu circulari motorum, vel deniq; prospectu è loco altiori, à quibus spiritibus imago quædam inprimitur, quæ eosdem ad irregularem motum commovet. Curatio in senibus quod primam causam attinet dubia admodum, quia senes ob defectum caloris, flatibus magis abundant. Peragitur interim iis, quæ flatus discutiunt & Cerebrum roborant, qualia sunt Ol: Anisi, fœnic. Major. & Cinnam. & alia. A causis evidentibus verò proveniens vertigo somno & quiete curatur.

Disputatio XIII. Respondente JOHANNE BEHMIO, Regiom.

§. 30. TRemor motus depravatus est, quo membrum continuò ad partes oppositas pellitur, ob Spirituum angustiam, quæ à sanguine seroso & in halitus vel vapores facile resolubili ortum ducit. Causæ procatarcticæ sunt animi affectus, nimium corporis exercitium, vigiliæ, inedia; ab his igitur cavere debent ii, qui malo huic sunt obnoxii. Senes itemq; ii quibus hoc vitium connatum est vix curantur: in aliis, remotis causis procatarcticis, affectus hic per se cessat, sin verò longius protrahitur, expurgatione serosi sangvinis, & corroboratione nervosi generis, perficitur ejusdem curatio.

§. 31. Deliriorum genera sunt phrenitis, mania, & melancholia, quæ hac ratione inter se differunt ut phrenitis & mania vehementiora sint delirio ex melancholia, & phrenitis quidem á maniâ differt, quod sit cum febre, mania vero febris expers; mania vicissim â melancholia, quod illa sit cum ferociâ & audacia, melancholia verò cum tristitia & metu.

§. 32. Phrenitidis causa inflammatio membranosarum partium est, orta â sanguine bilioso eò uberius confluente & subsistente. Mania â sanguine atro sive bile atrâ originem ducit. Melancholiæ causa humor melancholicus frigidior est, qui tamen si nimium incalescat & in bilem atram degeneret, maniæ causa etiam fieri potest. Notandum hic est bilem atram & melancholiam sibi contradistingui, quamvis enim melancholia si originem spectes nihil aliud sit quàm μέλαινα χολή sive atra bilis, in more tamen positum est, ut authores hæc vocabula inter se distinguant & atram bilem adustum & calidum velint esse humorem, melancholiam verò frigidum sero multo dilutum.

§. 33. Curatio phrenitidis & maniæ in eo præcipuè consistit, ut fervor sanguinis minuatur, hoc præcipue fit per V. S. quod remedium in his affectibus facile primum locum meretur; secundo purgatio vitiosorum humorum instituenda, & in phrenitide quidem bilis flava, in mania verò atrabilis accommodatis remediis educenda: capiti repellentia admovenda ut æstus aliquantulum attemperetur, cavendo tamen â nimium refrigerantibus, ne humor peccans in cerebro fixior reddatur; deniq; cordi etiam, quod præcipue in phrenitide propter fervorem compatitur cordialia refrigerantia exhibenda: Maniaci musicâ quoq; demulcendi certo præprimis genere cantus vel carminis, attamen hæc curandi ratio ad tempus quidem demulcere animum valet, affectum tamen omnino tollere nequit. Melancholici aliâ ratione sunt tractandi, cum enim hic sit diversa causa frigida nimirũ metum & tristitiam efficiens, calefacientia & animũ exhilarantia ut confect. alkerm. & alia cordialia calidiora exhibenda: cũ verò ut plurimũ vitio lienis humor melancholicus in sanguine cumuletur splenicis aperientibus & melancholiam evacuantibus medicamentis utendum. Commune deliriis, remedium est, ut somno conciliando maxime studeamus, quod fieri potest emulsionibus somniferis, quibus si nihil proficiamus commode his subjungi potest granum unum vel alterum Laud. Opiat. quo tamen cautè utendum, additis ejusmodi, quæ vim narcoticam opii aliquantulum infringant & corrigant.

§. 34. Catarrhus ἀπὸ τοῦ καταῤῥεῖν à defluendo sic dictus in genere omnem fluxionem à partibus superioribus ad inferiores denotat; in specie si à capite ad nares fiat defluxio, coryza, ad fauces βρόγχος, ad gargareonem staphyle, ad glandulas nomine earum proprio vocatur. Consideranda hic veniunt

niunt pars mandans à quâ fluxio fit, humor fluens, viæ per quas fluxio fit, & deniq; pars ad quam.

§. 35. Pars mandans sine dubio cerebrum est, à quo humor serosus & pituitosus ad partes inferiores defluit, quod Philosophus egregiè docet his verbis: *Fluxiones etiam ob eam rem ex capite oriuntur, in iis corporibus, quibus cerebrum frigidius est, quàm temperamentum modicum postulat. Cum enim alimentum per vasa sursum respirat, ubi excrementum ob ejus loci vim refrigeratum est, fluxiones pituitæ & seri movet. Quod simile generationi imbrium evenire intelligendum est, quoad magnum conferre cum parvo licet, cum enim ex terrâ vapor exhalat efferturq; in sublime à calore, ubi supernum aërem subierit frigidum, consistit denuo in aquam propter refrigerationem atq; in terram defluit.* lib. 2. d. part. an c. 7.

§. 36. Humor qui fluit loco adducto serum atq; pituita est, qui humores cum varias subeant differentias, præprimis eam, quâ propter sal biliosum admixtum salsedine suâ ab aliis distinguuntur, fit, ut exinde & ipsæ fluxiones inde suas differentias mutuentur, ita ut catarrhus dicatur alius calidus, qui à salso contingit humore, alius frigidus qui ab insipido vel dulci provenit.

§. 87. De viis per quas humor fluit res adeò certa non est; nam aliis placent venæ, aliis nervi, aliis loca subcutanea, aliis deniq; hæc omnia conjunctim. Nos inter has vias, commodiorem eam esse, quam venæ præbent, censemus; naturali namq; motu humores in cerebro condensati cum sanguine ad partes inferiores defluunt. Sed & non parum humoris ad nares per occulta spiracula cerebri itemq; ad fauces per manifestum ductum pelvim nimirum & glaudulam pituitariam defluit: Præprimis autem per vasa lymphatica humoris ad

partes decubitum fieri exiſtimamus. Si quis interim nobis novitatem rei ſuſpectam objecerit, cum ſenſu eadem vaſa non ſatis aſſequi liceat, is ſciat propterea opinionem hanc damnandam non eſſe, conſtat enim in partibus cerebro propinquis vaſa hæc ſenſum non fugere, quod verò eorundem continuatio ad cerebrum usq; non adeo pateat, id fit propter loci conditionem; dum enim cum reliquis vaſis per anguſta cranii foramina cerebrumipſum ſubeunt, fit ut propter impeditum oſſibus iter, eorundem ductus ſenſibus non æq; obvii ſint.

§. 38. Partes ad quas fluxio fit variæ eſſe poſſunt nulla namq; fere quæ reliquis debilior exiſtit, fluxionem declinare valet; reſtat igitur ut paucis & prognoſin & curationem abſolvamus. Prognoſis eum catarrhum pejorem eſſe dicit, qui cum impetu & copioſe fluit, deterior idem evadit ſi ad partem feratur nobiliorem, præcipuè ad pulmones & cor, hinc enim imminet ſuffocationis periculum; facilior ſolutu catarrhus eſt, qui propter tenuitatem humoris in exterioribus partibus hærens diſcuſſionem facilè admittit: difficilior verò qui ob craſſitiem firmius parti inhæret & ad ſuppurationem tendit. Curatio humorem peccantem à capite revellendum, eum verò, qui in parte ſubſiſtit diſcutiendum & nenova catarrhis ſuppeditetur materia primas vias purgandas eſſe docet; ſi corpus ſimul pletoricum ſit, commodè V. S. inſtituetur, præprimis in catarrho à cauſa calida: deniq; ut fluxiones præcaveantur cerebri frigiditatem cephalicis calidis corrigere convenit.

§. 39. Dolor capitis ſive cephalalgia ſignis nullis diagnoſticis indiget, originem habet à cauſis continuitatem partium ſolvere aptis, quales ſunt ſanguis vel vitioſi alii humores copioſe ad cerebrum affluentes & hinc copiâ ſuâ partes

mem.

membrapnosas nimium distendentes vel acrimoniâ suâ erodentes & vellicantes, itemq; flatus, causæ etiam externæ contusionem efficientes, vel aliâ ratione etiam continuitatem solventes.. Curatio perficitur causarum remotione: hinc si sanguis copia peccet V. S. administranda; sin vitiosi humores in corpore abundent iidem expurgandi, si flatus peccent, discutiendi, & deniq; speciales capitis Purgationes per Errhina & apophlegmatismos instituendæ.

CAPUT IV.

§. 1. Post cerebri partes organa sensuum consideranda veniunt, inter quæ cum primum merito teneant locum oculi, eorum quoq; tractatio præmittenda. Rotundi sunt oculi in facie ad latera nasi locati, bini in quovis animalium genere, compositi è partibus tegentibus & defendentibus, propriisq; constituentibus; tegentes & defendentes sunt palpebræ cum ciliis & superciliis.

§. 2. Palpebræ constant tum communibus integumentis, cuticulâ cute & membrana cornosa, tum partibus propriis, ut musculis & cartilaginibus: Musculi bini utriq; oculorum dati sunt, quorum alter rectà per palpebram descendit superiorem, eandemq; attollit, alter verò semicirculum efficiens palpebram constringit & deorsum movet. Ad latera formantur anguli, qui canthi dicuntur, horum externus minor est, internus verò ad radicem nasi major, in quo & caruncula foramini ossis narium obducta, humorem continens & certo tempore emittens lachrymalem. Cilia & supercilia pili sunt, quorum hi in confinio ossis frontis, priores verò in extremitate palpebrarum è corpore cartilaginoso enascuntur, hunc usum oculis præbent, ut non facilè vel ab humoribus de-

fluentibus, vel ab aliis rebus leviusculis oculi lædantur; tum etiam ad obscurationem, ne nimiâ luce irruente oculorum functio turbetur, faciunt: & deniq; juncta cilia inferioris palpebræ motu carentis, & superioris, exactiorem clausuram oculi efficiunt.

§. 3. Propriæ oculorum partes sunt, musculi, adeps, membranæ, humores, & vasa; musculorum in utrovis oculo sex numerantur; quatuor scilicet recti & duo transversi. Rectorum primus attollens dicitur & superbus, qui oculum versus superiora movet, huic oppositus, humilis & deprimens dicitur, qui oculum in feriora versus trahit; tertius qui oculum versus canthum majorem movet, bibitorius dicitur; quartus oculum adducens versus canthum minorem, indignatorius vocatur; quintus & sextus, quorum ille obliquè oculum deorsum hic verò sursum in gyrum movet amatorii & circumactores dicuntur; Sextus musculus ad canthum majorem per trochleam quasi transit quod ipsi peculiare est. Connascuntur hi musculi omnes circa nervum opticum atq; in membranas oculorum inseruntur. Notandum, numerum musculorũ in brutis auctiorem esse, ita ut alii septem alii octo alii plures numerent.

§. 4. Membranæ oculorum itidem sex sunt, quarum prima est adnata sive alba parte anteriori quo loco pupilla formatur, perforata, ne opacitate suâ specierum receptionem prohiberet, parte posteriori itemq; lateralibus firmissimè oculum ossibus annectit. Secunda σκληρώτική seu dura appellatur, & quia parte anteriori instar cornu pellucida est, cornea quoq; vocatur, hæc totum oculum ambit. Tertia choroides & â colore uvea dicitur: hæc fibrillis quibusdam anteriori parte instructa iridem varii coloris in homine format. Quarta retina

tina dicitur, quæ instar muci uveæ adhæret, expansio hæc esse creditur interioris substantiæ nervi optici. Quinta quæ vitreum humorem cingit vitrea, & sexta, quæ crystallinum investit crystallina ab eo dicitur.

§. 5. Humores oculorum tres sunt, quorum primus aqueus dicitur, qui in parte anteriore oculi est & mox à sectione oculi effluit: Secundus vitreus dicitur crassioris consistentiæ, in cujus medio locatur crystallinus humor omnium durissimus & lucidissimus, qui & propterea primarium merito visionis instrumentum dicitur.

§. 6. Supersunt vasa & adeps: Arteriæ à carotidibus & venæ à jugularibus ortum ducunt & maxime conspicuæ sunt in ophthalmiâ, commune cum reliquis totius corporis officium sustinentes. Nervi duo sunt quorum alter opticus exteriori substantia in membranas duriores, interiori verò in tunicam retinam expandi existimatur; alter verò motorius distribuitur in partes oculorum musculosas. Notanda est conjunctio nervorum opticorum in sectione cerebri occurrens, hanc enim Galen. l. 10. de usu part. c. 12, 13, 14. causam esse vult, ut res quæ ambobus cernitur oculis unica appareat. Necessum enim est conorum axes in uno plano esse, ut autem in uno plano sint, hoc ipsum efficitur à conjunctione nervorum opticorum. Adeps musculosis interponitur partibus, ne eædem à motu frequentiori vel atterantur vel exsiccentur nimium.

§. 7. Præstantissimum esse oculorum usum ex eo facilè liquet, quod visum præ aliis sensibus maximè amemus, quia nos hic scire facit, & differentias rerum manifestat ut loquitur Philosophus l. 1. Metaph. c. 1. quâ ratione autem visio fiat & quænam pars oculi præcipua sit dubitatur: Peripateticorum Schola humorem crystallinum præcipuam partem, quæ imagines

gines recipit & repræſentat, eſſe vult. Keplerus verò & hodierrum mathematicorum turba in tunicà retina ſpecies ſive imagines rerum ſiſti contendunt, viſionis modum per obſcuram cameram dilucidantes; quemadmodum enim in camerâ undiq; obſcuratà unico ſaltem relicto foramine rotundo, cui opponitur cryſtallinum vitrum, imagines extra cameram non in vitro illo vel intermedio ſpatio verum in pariete oppoſito ſiſtuntur, ita etiã in oculo ſpecies non in humore aliquo, ſed in tunicâ retina foramini pupillæ oppoſita ſpecies rerum repræſentari volunt. Nos novitatem hanc meritò ſuſpectam habemus; neq; enim quicquam ſimilia probant, ſed ſaltem illuſtrant, & Rethorem potius quàm philoſophum decent: ſed & quivis videt maximam diſſimilitudinem inter cameram obſcuram & oculum; ſunt namq; in oculo humores cum membranis contigui, at in camerâ obſcurâ paries â vitro multum diſtat. Præterea ſpecies in pariete cameræ, inverſæ apparent; eadem igitur ratione & in tunicà retinà inverſæ apparebunt. Hoc dubium ut eluant diverſa vitra medio inter parietem & primum vitrum loco locant, iisdemq; picturam in pariete inverſam rectam efficiunt, unde & in oculo idem contingere dicunt per diverſos humores, qui diverſas refractiones producunt. Verum reſpondemus diverſam quidem fieri refractionem per vitra in Juſta diſtantiâ locata, at minus in humoribus oculi id evenire, qui ſibi contigui ſunt, ut unius corporis pellucidi vicem ſubeant. Meliori igitur ratione comparationem oculi cum ſpeculo inſtituimus & idem officii genus quod Mercurius vitro retrò obductus tunicam retinam humori cryſtallino præſtare dicimus; atq; ita in cryſtallino humore corpore lucidiſſimo & maximè polito imagines rerum repræſentari aſſerimus.

§. 8. Sen-

§. 8. Sensus hujus certitudinem Academici & hodienum Carthesiani in dubium vocant, quia sæpius contingit ut visus nos fallat: sic solem orientem coloratum esse existimamus, remos in aquis fractos esse putamus, aliasq; res non raro minores, quàm revera existunt, esse judicamus, itemq; in navi dum vehimur nos quiescere prata verò moveri nobis videntur, & quæ sunt alia, quæ pro incertitudine visus adducunt. Verùm respondemus ad hæc omnia breviter, sensum visus nunquam falli, si omnia adsint requisita, nimirum si organum visus ritè sit dispositum nec alieno colore infectum vel alio quodam laboret vitio; secundò si totum subjectum, quod videt, rectè se habeat; hinc enim contingit, ut, qui navi vehitur, prata moveri existimet, quia ipse si quiesceret & ritè se haberet ad visionem exercendam, rectius etiam judicaret; tertiò si medium per quod species oculo offeruntur juste sit dispositum: unde solem propter nubeculam interjectam coloratum judicamus, remumq; propter inæqualem aquæ superficiem fractũ; quartò & distantia justa sit inter objectum & oculum quæ si non adsit, evenit ut corpora remotiora qualia sunt astra multis modis minora esse existimemus quam revera sunt; quintò objectum quod videtur itidem recte se habere debet, si enim V.G. id minus sit proportione, vel alia ratione indispositum, sensum fugit & fallit. Ex his igitur liquet sensum non falli, si omnia requisita adsint, nisi per accidens, quod non rarò etiam contingit, si versetur circa objectum commune non proprium.

§. 9. Quæritur an ad visionem requiratur vel organi vel objecti illuminatio? Organi solùm illuminationem ad visionem sufficere svadere videntur eorum exempla, qui mediis in tenebris res objectas accuratè satis oculorum acie discernere

potuerunt; ut Tyberii Cæsaris, Scaligeri utriusq; & aliorum virorum doctorum: Sed & idem ex animaliũ aliorum genere manifestũ esse videtur, nam feles de noctè acutè satis cernunt. E contrario organi illuminationem visioni potius officere & solius objecti illuminationem sufficere eorum testimonio constat, qui ê profundis puteis astra minora medio die discernunt: Imò dum res accuratius inspicere volumus vel pupillam angustamus & palpebras adducendo obscuramus, aut manum admovemus oculo, ut lumen externum arceamus & ita obscurato organo rectius objecta dijudicemus. Præterea certum est de nocte res remotiores illuminatas à nobis in tenebris versantibus optimè perspici; ê contra objecta, quæ in tenebris sunt, quamvis faces nobis plures præsto sint nequaquam videri, eo enim usq; saltem se extendit nostrorum oculorum acies, quousq; objecta illuminando lumen faculæ se diffundit. Verior igitur esse videtur posterior hæc opinio, illuminationem scilicet solius objecti sufficere ad visionem. Præter enim experientiam adductam oculus qui recipit lumen atq; colorem, ejus debet expers esse; Ad experientiam autem pro contrariâ parte superius prolatam respondemus: Lumen illud quod felium oculis vel quorundam hominum inesse creditur, non inesse crystallino humori eundemq; illustrare, sed extraneum in circumferentia iridis positum esse quod & ipsum manifestè constat intuentibus noctu feles; in iride enim splendor observatur, at pupilla non nisi punctulo tenebroso & obscuro discernitur. A splendore itaq; iridis lumen aliquod non quidem in oculum, quia obstat densitas uveæ tunicæ sed in objecta diffunditur, & hinc in tenebris à quibusdam hominibus uti & felibus objecta videntur, non quod oculus sed quod eadem sint illuminata: Splendorem

autem

autem ejusmodi iridi inesse posse, constat ex aliis rebus putridis vel politis noctu splendentibus.

10. Quæritur ulterius an visu possit fieri fascinatio? Plutarch. enim l. 5. Sympos. c. 7. quibusdam hominibus oculos fascinantes inesse dicit; itemq; Plinius quosdam in illyrico oculis fascinare ex Isogano prodit. Virgilius idem versu hoc testatur, dum inquit:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

De Basilisco ferunt quoq; eundem alia animalia visu interimere; Lippientes insuper aspectu solo aliorum sanos inficiunt oculos, ut & hinc manifestum esse quidam contendant [præcipuè qui visionem per radiorum emissionem fieri volunt] solo intuitu Striges fascinare posse, eamq; ob causam credulum vulgus aspectui vetularum infantulos subtrahat metu fascinationis. Verùm uti absurdam esse persvasi sumus opinionem de visione per emissionem radiorum, ita & fascinationem solo aspectu fieri pernegamus. Quod enim basiliscum attinet vel alia animalia, eadem non tam visu quam tetris exhalationibus nocere credendum; sic & lippientes non aliâ ratione quam emanantibus quibusdam halitibus sanos inficiunt, eademq; ratione fœminæ menstruatæ speculum intuentes inficiunt; sin verò contingat post aspectum hominum maleficorum quosdam mox fascinatos esse, fascinationis causa non tam adspectui tribuenda erit, quam dæmoni cooperanti, unde quivis fallaciam accidentis subesse animadvertit.

11. Quæritur tertiò quamobrem alii distinctè ea, quæ procul absunt videant, propinqua verò minus distinctè? alii verò indistincte ea, quæ sunt remota; quæ verò cominus obveniunt acutè? Causa prioris tribuitur situi profundiori oculorum, à Philosopho l. 1. Hist. An. c. 10. & l. de Gen. an. 5. c. 15.

Hoc verò puritati & ſinceritati humorum, tum etiam tenuitati & pelluciditati tunicæ corneæ merito acceptum refertur; nam ut ibidem Philoſophus loquitur: uti in veſte mundiſſimâ vel minima macula perſpicua eſt, ſic in puro ſinceroq; oculo vel parva motio patet ſenſumq; afficit.

12. Sequitur organum Auditus, quod communi nomine auris appellatur; hæc dividitur in externam & internam. Exterior conſtat cuticula, cute, menbrana, pinguedine, muſculis & cartilagine; exterior ambitus vocatur Helix, interior cavitas huic oppoſita ſcapha, pars lateralis prominens, quâ parte pili enaſcuntur hispidi, hircus dicitur, pars ſuperior pinna, inferior lobus, media cavitas concha vocatur, quæ ubi anguſtatur meatus incipit auditorius, in quo pars illa, quæ ſordes continet flavas alvearium appellatur.

13. Meatum auditorium alii ad partes auris internæ referunt; nos eam ſequi diviſionem malumus, quam natura ipſa inſtituit, atq; limitem ſtatuimus meningem ſive membranam tympani, cui muſculus primus inſeritur, tenſam menbranulam tympani efficiens. Membranulam ab interiori parte circulo oſſeo annexam excipit prima cavitas auriculæ internæ, quæ tympanum dicitur; hæc quatuor oſſicula continet, quorum primum â figuræ quadam ſimilitudine malleus dicitur, qui proceſſu ſuo longiori adhæret mediæ parti firmiter ſatis menbranulæ tympani, cervice ſuâ excipit muſculum ſecundum auriculæ internæ, capite annectitur oſſiculo ſecundo incudi nimirum, cujus cruri alteri viciſſim annectitur oſſiculum minuſculum ſtapedis ſuperiori parti adhærens; ſtapes baſi ſuâ foramen claudit ovale, eidemq; aliquantulum immergitur, ut difficulter non ſine fracturæ metu extrahatur, facilius autem intropellatur. Præter hæc oſſicula rotundum aliud ad latus;

latus stapedis intercedente ligamento positum Sylvius invenit, quod exiguitate multorum visum quidem fugit, at certò tamen adest: ossiculum hoc, quartum communiter vocant, verùm cum á nobis parvulum illud ossiculum, quod inter alterutrum crus incudis & stapedis elatiorem sedem interjectum est, in numerum ossiculorum sit relatum, Sylvii ossiculum quintum dici poterit. Remoto stapede consideranda veniunt foramina primum ovale de quo jam mentio facta, & huic vicinum rotundum, illud in homine majus est rotundo, in brutis verò minus, atq; viam aperit in Labyrinthum & cochleam simul, hoc in cochleam tendit & obductum est substantiâ quadam seu menbranosa seu ligamentosa. Ossiculis & membranæ tympani attenditur chorda, quæ utrum sit vel arteria, vel nervus vel ligamentum dubitatur ab authoribus. Eustachius referente Schenckio l. 1. Observ. ramulum quarti nervorum paris esse vult. Notandus præterea venit meatus è tympano, sive cavitate prima in oris palatum desinens, cujus meatus ope commode masticatoria in affectibus aurium exhibentur.

§. 14. Quomodo jam hæ partes omnes ad sensum auditus perficiendum concurrant, & quænam princeps earum sit & à medicis & à philosophis variè disputatur. Nos quemvis suo sensu facilè abundare permittentes relictis aliorum opinionibus paucis mentem nostram aperiemus. Sonus qui ex allisione aëris ad corpus durum nascitur, continuatione quadam ad auriculam delatus per meatum auditorium ad membranulam tympani contendit, eandemq; pro differentia soni acuti vel gravis, fortis vel debilis variè movet & introrsum pellit, pulsa membranulâ annexus huic malleus & malleo vicissim contigua reliqua ossicula moventur, motis ossi-

culis & præprimis ſtapede, qui foramen ovale claudit, movetur ſimul aër vernaculus & inſitus ſeu congenitus in cavitate ſecundâ & tertiâ labyrintho nimirum & cochleâ contentus; ſpecies hæc moti aëris interni & congeniti, ſpiritui imprimitur, eodemq; mediante, communi ſenſorio offertur.

§. 15. Ex his facilè liquet partem principem eſſe aërem congenitum, eundemq; idem in auditu, quod cryſtallinus humor in viſione obire munus: quemadmodum enim in cryſtallino externorum objectorum viſibilium formatur ſpecies, ita in aëre congenito formantur & recipiuntur ſoni differentiæ. Ex ſe quidem aër ſono caret, quia facilè diſpergitur & diſſolvitur, verùm cum prohibetur diſſolvi tum motio ipſius ſonus eſt, ut loquitur Philoſophus l. 2. de An. c. 8. Sin igitur ſonus nihil aliud quam motio aëris eſt, in quâ aliâ parte differentias ſonorum & recipi & ſiſti dicemus? Optimè quoq; Philoſophus addit hæc verba cum prohibetur diſſolvi; hâc enim intentione natura absq; omni dubio aërem hunc inſitum in oſſe omnium duriſſimo ſeu petroſo locavit, ne diſſolveretur. Cum verò non una ſit cavitas auris internæ, ſed tres diverſæ tympanum, labyrinthus & cochlea, quæritur in quâ ſede potiſſimum commoretur aër ille inſitus? Authores tympanum huic deſtinatum negotio volunt; nos tympanum negligentes & non niſi aërem externum per os eo loci devectum in eo contineri aſſerentes, præeligimus huic rei labyrinthum & cochleam uti præcedenti §. innuimus; non enim ſolùm in iis cavitatibus undiq; munitis aër diſſolvi prohibetur, ſed & ab externis injuriis magis tutus degit; imò in penitiori ſede aërem hunc recondi naturæ intentioni erat convenientiſſimum, ut immobilis eſſet; quod innuit Philoſophus his verbis dicto loco: At is aër, qui in auribus eſt collocatus, intus

eſt

est conditus ut sit immobilis: atq; hoc ut exacte sentiat differentias omnes motus. Horum omnium autem periculum aëri congenito, si in tympano contineretur, immineret; nam ob patentem meatum facile dissolveretur, ab exhalationibus quoq; inficeretur, nec immobilis permaneret, sed vel omninò præsertim â fumivomis, tabaci fumum non solum per os & nares sed & per aures emittentibus, amicus hic hospes hospitio suo expelleretur.

§. 16. Definito modo auditionis, quem Hoffmannus adeò naturæ tenebris immersum esse dicit, ut vix solidi aliquid de eo pronunciare liceat, pergimus ad reliqua sensoria, & primò quidem considerandus venit nasus; hic parte superiori osseus est inferiori cartilagineus, quinq; cartilaginibus hanc partem constituentibus; partes laterales pinnæ pterygia seu alæ dicuntur, quæ per medium septum divisæ duo continent foramina in medio itinere dupliciter divisa, altera enim parte sursum tendunt, & halitibus odoriferis ad os cribriforme eidemque incumbentes processus mammillares cerebri & nervos olfactorios liberum adscensum permittunt: Alterâ verò viâ ad oris palatum tendunt atq; aëri pro respiratione ingressum concedunt. Terminantur hæc foramina, eo loco quo uvula pars quædam carnosa laxior, figuræ rotundæ & nonnihil oblongæ dependet, cujus relaxatio â defluente humore casus uvulæ appellatur. Obducitur interior superficies cute quadam, quæ â durâ matre ortum habere dicitur, parte ea quæ os cribriforme spectat foraminulis seu poris quibusdam patet, quemadmodum dura meninx processus mammillares investiens, uti & tunica palati. Musculi pterygia moventes ab Authoribus 8. numerantur, quorum descriptionem videsis in Anatomicis. Vasa cum partibus vicinis naso sunt communia, scilicet

licet arteriæ à carotidibus, Venæ à jugularibus ortum ducunt. Uſus narium eſt ut reſpirationi inſerviant, ne ore aperto ſpiritum ducere ſemper teneamur, (2.) meatu illo qui ad os cribriforme fertur halitibus & odoribus adſcendentibus viam præbent.

§. 17. Super eſt jam organon guſtus cujus fundamentum ſive baſis os υψιλοειδὲς ſive ὑοειδὲς eſt. Hujus oſſis quod laryngi adhæret muſculorum quatuor paria & linguæ ipſius quinq; numerantur, qui omnes motui linguæ deſtinantur. Subſtantia linguæ carne conſtat laxiori & ſpongioſa, quæ tunicâ itidem poroſa inveſtitur, quo melius differentias ſaporum perciperet; unica eſt in homine, per lineam quandam mediam diviſa, in ſerpentibus trifida, in lacertis bifida eſt. Ligamentum quod ſub lingua eſt fræum linguæ appellatur, quod ſi nimiũ antrorſum excreſcat à chirurgis incidi ſolet, ne loquelæ impedimento ſit. Venæ ſub lingua raninæ dicuntur, quæ in angina ſecari ſolent; nervi à ſeptima conjugatione linguæ communicantur. Uſus linguæ eſt ut per ſpeciem tactus ſaporum differentias percipiat (2.) variâ volutatione ciborum maſticationi inſerviat, & 3. vocis formationem juvet.

CAPUT V.

§. 1. Sequuntur prædictarum partium affectus, cum verò eorum tantus ſit numerus, ut vel ſola nomina inſtituendo tædium afferre queant, quosdam ſaltem eosq; præcipuos hîc proponere animus eſt, præprimis cum cognitis his reliquorum diagnoſis nequeat eſſe difficilis. Et quidem 1. oculorum vitia ſunt ſequentia: Pterygium ſeu unguis Oculi, ophthalmia, Leucoma ſeu albugo, μυδρίασις ſive dilatatio pupillæ & μύωσις ſive conſtrictio ejusdem, ſuffuſio ſive Hypochyma, Glaucoma, & Gutta ſerena.

§. 2. Pre-

§. 2. Pterygium sive unguis oculi membrana quædam est, à cantho præprimis majori oculi enata, tunicæ oculorum primæ, quæ adnata seu conjunctiva dicitur, adhærens, quæ nonnunquam eousq; progreditur, ut pupillam tegat, & specierum receptionem omninò prohibeat. Causa hujus affectus est membranarum alimentaris humor luxurians, qui partem aliquam membranæ productiorem efficiens sumpto incremento peculiare tandem corpus constituit membranosum. In curatione præter evacuationem totius corporis, membranæ absumptio lapide medicamentoso Crollii in aquâ Rosar. seu Euphras. soluto, tentanda, quæ si non ex voto succedat, chirurgiæ hoc vitium committendum.

§. 3. Ophthalmia inflammatio tunicæ adnatæ est. Cognoscitur rubore, tumore & dolore ejusdem. Causa sanguis calidus & acris est per arteriolas affluens copiose & subsistens. Dividitur tripliciter, primaq; species taraxis dicitur quæ inflammatio levior seu phlogosis est, orta non raro à fumo, vento, oleo, pulvere, radiis solaribus aliisq; causis externis. Secunda species simpliciter ophthalmia dicitur, à Celso lippitudo, & producitur semper à causis internis multoq; gravior priori existit. Tertia Chemosis vocatur in quâ inflammatio vehementior est cum dolore intenso, palpebrarum inversione & ipsius iridis rubore. Curatur V.S. quæ præsentissimum solet esse remedium (2.) vesicatoriis, aliisq; remediis revellentibus, (3.) topicis è lacte muliebri, medulla panis triticei, bolo armena, saccharo Saturni & pauxillo croci compositis. Commendatur etiam à Chymicis maxime crocus metallorum cum aquis ophthalmicis.

§. 4. Leucoma seu Albugo macula alba est tunicæ corneæ, quæ ortum ducit vel à cicatrice post ulcus vel vulnus re-

licta, vel à mucoſo humore inter utramq; laminam hujus tunicæ exiſtente; quæ à cicatrice eſt curatur emollientibus, quæ verò à pituitoſo humore diſcutientibus, præmiſſa totius corporis evacuatione.

§. 5. Μυδρίασις ſeu dilatatio pupillæ affectus eſt tunicæ uveæ, ortus à tenſione ejusdem vel ob nimiam ſiccitatem, vel ob inflammationem aliudve tumoris genus. Curatur humectantibus, cui ſcopo inſervit lac caprinum. Si verò inflammatio adſit, ea quæ aliàs inflammationi conveniunt ſunt adhibenda. Contrarium priori vitium eſt μύωσις ſive conſtrictio pupillæ, quæ provenit vel à nimia humiditate tunicam uveam relaxante, vel à defectu humoris aquei à quò iris contrahitur: Prior ſpecies exſiccantia, hæc verò defectum aquei humoris reſtaurantia requirit remedia.

§. 6. Hypochyma ſive ſuffuſio humoris aquei affectus eſt; quo idem condenſatus obſcuratur, ut limpidus non amplius exiſtat, ſed in mucum quaſi concretum degeneret. Curatur diſcutientibus remediis, viſumq; confortantibus, quibus ſi non cedat, inſtrumento chirurgico removenda mucoſa illa materia eſt, quo ſpeciebus ad cryſtallinum humorem liber pateat aditus.

§. 7. Glaucoma cryſtallini humoris vitium eſt, in quo ob exſiccationem pelluciditas ejusdem deſtruitur, glaucusq; color ſuccedit. Dignoſcitur à priori, quod macula albicans in hoc affectu profundior ſit, in hypochymate verò ſeu ſuffuſione tunicæ corneæ propinquior. Curationem hic affectus vix ſuſcipit & pro malo deſperato habetur.

§. 8. Gutta ſerena à prioribus affectibus differt, quod in eadem nullum omninò vitium ſeu membranarum ſeu humorum appareat; ortum ducit à denegato ſpirituum influxu propter

pter obstructionem nervi visorii, vel ejusdem compressionem. Obstructio plerumq; exoritur à pituitoso humore à cerebro eò confluente; unde non raró à fortiori purgatione, vel etiam vomitu commotis in cerebro humoribus obstructio nervi optici & hinc dependens cæcitas quibusdam contigit. Compressio nervorum opticorum â tumore partium vicinarum vel etiam humorum copia forinsecus nervum opticum coangustante provenit. Curatur hic affectus tum universali totius corporis, tum etiam cerebri in specie purgatione, & pituitosi humoris eductione; uti & repellentibus.

§. 9. Aurium finis sive auditus vel omnino aboletur, ut in surditate vel minuitur in gravi auditu vel depravatur in tinnitu, vel turbatur in dolore. Surditas varia ratione producitur, vel enim tympani membranula rumpitur, aut adeo densa evadit, ut omninò absq; sensu sit, neq; ab ictu aëris moveatur; vel ossicula, vitiatâ conformatione â primo ortu, aut depravato situ, aut solutione continui laborant. Nec non aër insitus affici potest variis modis ut exinde surditas oriatur; vel deniq; nervi auditorii propter vitium cerebri malè sunt constituti, unde species aëri interno impressa Spiritui communicari nequit. Mala hæc si sint connata curationem non admittunt; sin verò propter vitium aliquod cerebri eveniant in lucem jam editis, ad illud totius curationis scopus dirigendus est. Gravis auditus â surditate tanquam majus & minus differt, & idcirco peculiarem tractationem non meretur.

§. 10. Tinnitus qui nullis indiget signis diagnosticis sed ex ægroti relatione constat, originem ducit â flatulento Spiritu aërem internum commovente. Curatur iis quæ flatus discutiunt & cerebrum roborant.

§. 11. Dolor varios agnoscit natales, omnia namq; dolorem efficere apta sunt, quæcunq; continuum solvere valent, & hinc inflammatio, ulcus, humores acres & erodentes, casus, percussio, vulnus, itemq; animalia irrepentia, vel in aure etiam genita doloris causa existunt. Curatio ratione causarum variat: in inflammatione vena cephalica secanda, corpus biliosis humoribus purgandum, & si in ulcus degeneret ab-

ster-

stergentia & tandem consolidantia adhibenda; Humores acres demulcendi & educendi; animalia vel mortua instillatis rebus in aurem amaris educenda, vel viva viscidâ materiâ lanâ exceptâ extrahenda, aut pabulo amico & dulci allicienda. Reliqua videantur in practicis. Notandum est non rarò sanguinem vel purulentam materiam ex abscessu cerebri per aures evacuari, qui fluxus sistendus non est, sed naturæ permittendus & id agendum, ut aures sæpius vino tepido vel alio convenienti liquore eluantur, ne & ipsæ ab humore permeante vitiū capiant. Commendatur ad fluxum aurium à Foresto Moschus bombyce exceptus & auribus impositus, præmissa interim universali curâ.

§ 12. Narium affectus sunt vulnus, ulcus, ozæna sive ulcus sordidum, polypus sive carnosa excrescentia, Hæmorrhagia & coryza sive gravedo: cum verò coryzæ indoles ex iis, quæ de catharro dicta sunt manifesta sit, reliqui autem morbi ut vulnera & ulcera, tum etiam polypus commode ad chirurgiam referantur, de hæmorrhagia paucis agendum hîc erit.

§. 13. Hæmorrhagia symptomatica scilicet non critica, fluxio sanguinis per nares est, eveniens vel ob vasorum anastomosin sive osculorum apertionem, vel ob διαίρεσιν sive continui solutionem ab acribus erodentibus humoribus, casu, vulnere, contusione factam vel 3. ob διαπήδεσιν sive transsudationem per tunicam vasorum rarefactam. Curatio requirit ratione revulsionis V. S. quam excipere debent repellentia fronti applicata, 3. adstringentia ea, quæ peculiari qualitate sanguinem sistere dicuntur â practicis; sin verò his ipsis nihil proficiamus, ad opiata tandem deveniendum est.

§. 14. Linguæ morbi sunt ranula & paralysis. Ranula tumor sub lingua est, nonnunquam inflammationis, aliquando etiam œdematis speciem referens; diversam ratione causæ requirit curationem: quia tamen ut plurimum â crasso & terrestri humore oritur, emollientia, & deinde factâ sectione, mundificantia, & deniq; consolidantia requirit.

Paralysis linguæ cum ob nervorum vitium contingat, communem obtinet medendi rationem cum paralysi partium in genere.

FINIS.

